

www.e-rara.ch

Coelum poeticum seu sphaera astronomica

Scheffer, Vitus

Prag, 1686

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2997>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]




~~1171.~~

Ray 4064

Viria nou:

Scheffler, Plahn, Pencke, Rose, Knauer, Albrecht





Groot





COE L U M

POËTICUM,

S E U

S P H Æ R A
ASTRONOMICA.

E vetustissimis Poëseos umbris
Novissimè eruta;

Atque ut Luci daretur,

LUCIS MUNDI GENITRICI,
COELORUM OMNIUM REGINÆ,
HUMANITATI DEIPARÆ,
TOTIUS HUMANITATIS PRINCIPI

M A R I Æ,

Submississimè ad pedes provoluta;

P. VITO SCHEFFER à Societate JESU.



PRAGÆ: Typis Catharinæ Czernochianæ Viduæ

Anno 1686.



COPIED FROM

PROBATION

THE

SUPREMACY

OF THE

UNITED STATES

IN THE

CASE OF

THE

CONFEDERATE STATES

OF AMERICA

VS

THE

UNITED STATES

OF AMERICA

IN

THE

CASE OF

ILLUSTRÍSSIMO & EXCELLENTÍSSIMO
DOMINO DOMINO

JOANNI,
MARCO,
GEORGIO,
S. R. I. COMITI
DE CLARY & ALDRINGEN.

Domino in Töpplitz, Bensen, Dobritschan, Hospozin
& Lenschitz,

S. C. Rq; MAJ. ACTUALI
CAMERARIO,
CONSILIARIO,
FEUDALIS & CAMERATICI JUDICII
IN REGNO BOH: ASSESSORI,
AULICÆ CAMERÆ IN SUPER: AUSTRIA
CONSILIARIO,
NEC NON
AD SERENISS: ELECT: DUCEM SAXON:
LEGATO DESIGNATO.



Uci dandos esse partus, qui filij lucis sunt, ad lampades Sapientia in elucubrationibus concepti, in luce est. Hæc est lux, cui dedi, quam concepisciintillam in arundineto discurrentem, unde & fistulas Poëtica suas, & tubos Astronomica suos acutè, dum velit, possit seu exscindere, seu adornare; detuli, inquam, hoc Opusculum, Cælum indigitatum ad Cæli portam, illuminatricem cupiens de qua mundo Lux est orta, Deiparam Virginem MARIAM. Sed à Luce Claritatem quis separaret? Deus conjunxit, homo non tentet. Illustrissime ac Excellentissime Domine, Domine Joannes Marce Georgi, S. R. I. Comes de Clary & Aldringen, &c. &c. Non est noctua Minervæ meæ adeò damnata ad tenebras, ut claritatem radiantium in Cælo siderum non suspiciat, ut non exoptet gratio-
so eorundem aspectu desuper irradiari; videt clarè Tuæ Claritatis cum illa Luce Divina in divinis connexionem, non tentabit separationem. Cælum igitur hoc meum, stellatum Opusculum, etiam ad Tuæ Illustrissimæ Domus Stellis insignita, (cui, si spectem Profapiâ, Virtute, Sapientiâ, Fortunis, Honoribus, ceterisque laudum titulis clarissimam Proavorum seriem, insertum lego: Regia Solis erat, sublimibus alta columnis, clara micante auro, flammâsque imitante pyropo.) januam apporto, & exinde splendorem, quò ad sui perfectionem
inclai-



inclarescat, luculentum expecto. Etiam huc aditum praestat,
& velut manu prehensum me inductat meus Comes, bonus
Angelus, Lucis filius, quia partus Tuus; qui & partim me-
us, quia meus in Philosophico studio Discipulus, Illustrissimus
Junior, Dominus Dominus Joannes Georgius S. R. I. Co-
mes de Clary & Aldringen.

Hic me Illustrissimæ isthac Domûs limina ut cum
reverentia attingere non vererer, suavi, quod solent Angeli,
violentia induxit & causam facti propalam vel tacendo, cla-
rissimè edixit. Physicæ & Matheseos Auditor audit hodie;
hæc gloria mea Physicæ; vide proin, Comes Illustrissime &
Excellentissime (ego non video) an pro hoc, quod in lucem pro-
moveri cupio, calo aut ausim, aut possim (certè his obligatus
Professionis meæ rationibus non velim) opportunius, efficacius-
ve præter hunc cælestis Sphæræ Motorem, Motivum habere?
Huic Cælum meum imposui, deferendum Tibi; nè manus ejus
respice, Angelus est, solo constans alato capite; illic globum ge-
stat verum ingenij & industria meæ partum in orbem efferen-
dum. Nihil enim de integerrima vitæ ejus innocentia, nihil
de indolis ad omnem nobilissimæ educationis formam tractabili-
tate mitissima, nihil de morum gravitate ad pondus, ad mensu-
ram, ad numeros Philosophicos omnes absoluta, quod huic et a-
ti ut rarum, ita carum, nihil de his, inquam, quæ illi innata sunt
participatione naturæ Tuæ, & exulta solerti curâ institutio-
nis Tuæ: hæc etenim ea sunt, quæ, quâ sit Origine natus, o-
stendunt. Ast illa ego sinè jaçtantia in eodem ostento, quæ re-
latio-



latione mutuâ discipulum inter & Magistrum nos duos unum efficiunt. Illa videlicet ingenij promptitudo, illa mentis capacitas, memoria tenacitas illa, quibus junctim pollet, vis denique (in qua vis tota) applicata ad omnium horum sedulam productum meo exercitationem, ista mihi sphaera sunt, qua illi caput; & ista mihi alæ, qua illi volo; ut velim & ego & volem ad communicandum mea illi, quem aliquando in grande emolumentum Patriæ, in amplissimum Familiæ suæ decus non jam suspicor, sed jam suspicio, effulsurum.

Patieris igitur pro Tua in omnes, sed Musas præsertim, humanitate, quibus tum mitioribus, cum severioribus omnibus capacissimum simul & clarissimum in mente ac pectore Tuo domicilium perpetuo jure cessisti, Illustrissime ac Excellentissime D. D. Comes, ut meo hoc Comitæ, & bono Angelo ducæ, januâ reperiâ apertâ, cælo meo illustre decus hereditariæ claritatis affusuram; sinè hac illi character obscuritas, involucri tenebræ, sinè tuo agnomine ac Nomine: Calum enim est non majus, quam sinapis granum, tantillum opusculum, quantum meum; in grande tamen, etiam volucris cæli, evasurum delictum, si (qua mihi viret vigetque in Tuo favore spes) volueris (ut est) dici opus Tuum, quod Tibi Soli, Tuæq; Illustrissimæ Domûs splendori summississimè submisi, jure debito, ut dixi, addixi.

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Observantissimus

Vitus Scheffer, S. J.

ELENCHUS

Eorum, quæ in hoc Opusculo continentur.

PARTE PRIMA.

Quomodo quaque in cælum Poëticum venerint.

SECTIONE I. Quomodo Aries, Perseus, Andromeda, Cepheus, Cassiopea, Cete & Eridanus in cælum venerint.

SECT: II. Quomodo Taurus, Orion, & Erichthonius in cælum venerint.

III. Quomodo Gemini, duæ Ursæ, & duo Canes.

IV. Quomodo Cancer, Hydra & Argonavis.

V. Quomodo Leo, Crater & Corvus.

VI. Quomodo Virgo & Arcas seu Bootes,

VII. Quomodo Libra, Corona Borealis, Anguis, Ophiuchus.

VIII. Quomodo Scorpio, Hercules & Ara.

IX. Quomodo Sagittarius, Lyra, Aquila & Antinous.

X. Quomodo Capricornus, Equiculus, Delphinus & Cygnus.

XI. Quomodo Aquarius & Pegasus.

XII. Quomodo Pisces & Draco.

PARTE SECUNDA.

Explicatur, quid prædicta significant in Cælo Poëtico.

Ordine quo supra; ut:

SECTIONE I. Quid Aries, Andromeda, Perseus, Cepheus &c. significant in cælo Poëtico. & sic de reliquis.

PARTE TERTIA.

Probantur prædicta omnia secundæ partis asserta, rationibus congruis, & Authoritatibus.

SECT: I. Solum Solem esse omnem Deum Poëtarum Gentilium.

SECT. II. Animalia Zodiaci id significare, quod sectionibus Partis secundæ assertum est in genere.

SECT. III. Animalia Zodiaci id significare, quod Sectionibus Partis secundæ assertum est in specie.

SECT. IV. Accidentalibus, seu lateralibus segmentorum id significare, quod Parte secundâ assertum est, univèrsim, & singulatim.

Postremùm, Adjunctum est Compendium, & velut synopsis totius Opusculi.

UTILITAS OPUSCULI.

Tanta est sanè utilitas, quam ex fabularum cognitione percipimus, quanta nullis verbis explicari posset, quod tamen nemini ferè est perspicuū, nisi si quis præclaro ingenio sit ab ipsa natura præditus, multaque antiquorum scripta diligentius considerarit, ait Natalis Comes Mythologiæ lib: 1. Cap. 2. sed hæc in genere; ego de præsentibus Dico:

Primò, hoc Opusculo pensatè lecto, & compendio ejus semel iterumque relecto, habebitur desiderata hactenus ab omniterudito expositio totius globi Poëtici tot fabellis & figuris per texti.

Secundò: Habebitur asteris morum præcipuorum & communissimè receptorum insignis quædam ad eruditionem notitia.

Tertiò: Scietur quomodo singula in cælum venerint, Aries, Taurus, &c.

Quartò: Quæ de his rebus fabulæ concinnatæ sint.

Quintò: Quid significatum per hæc omnia veteres voluerint.

Sextò: Sciet hæc omnia sic, ut sciat facillimè referre, neque unquam facile obliviscatur, in quo cæli segmento hæc vel illa constellatio seu asterismus situs sit, propter fabellas, quæ admodum memoriam juvant, & ob continuam seriem notissimis nobis rebus, nimirum duodecim mensibus, & apertissimis Solis operationibus, affixam.

In quibus omnibus, quanta sit & mentis studiosæ recreatio, & pro omni conversationis discursu, discursus scita continuatione, continuationis gratia, & dulcis quædam cum utili mista seges, testes appello tot, quot curiosos, ingeniososque hujus libelli Lectores, quibus unicè hunc globum lustrandum propono, simulq; Columbi ovum stare scio. Poterant & melius frangere alij, scio; sed me prius potuisse, ex actu ad potentiam argumentatus, bonâ eorum veniâ, rectè arguo.



TRADITIO SPHÆRÆ

In Manus

S. ANGELI TUTELARIS,

Authori in Poëticis & Philosophicis
laboribus singulariter electi

P A T R O N I.



Angèle sancte, Custos fidissime, calum porto, & sine Te, intelligentia mea, quò portem, non intelligo. Pedibus leviter laborabam, cum pronuper Parnassum Julio-Montanum conscenderem; ubi, ut, quantum necessitatis subsisterem, Te, non tam Ducem, quam bajulum elegi; nunc, quo casu nescio, in Physicum delapsus Philosophiæ æquor, in gravissimo capitis labore, quomodo sine Te subsitero? quanquam hodie non tam cupiam per Te subsistere, quam accidere. Te ductore reportandum mihi est olim calum empyrium; nunc reporto, unde cum reliquis, quæ omnia mecum porto, accipi Cælum Poëticum, & hoc nec possum, nec volo sine Te Motore, Ductore. Consideramini



ramini sublimissimi Spiritus à Physica ut Motrices cælorum
potentia; de Te quidem possum sanctè enunciare, quòd non nisi
motu Tuo hanc Sphæram ad Orientis revolvam Principium, à
quo cælum cælorum incepit suum in Orbem cursum. Tibi igitur
hunc committo, non tam globum, quàm globulum, minu-
sculum, munusculum, quod fero, deferendum; Tu fac (oro)
indè globulum MARIANUM. Manum portantis accipe,
me & mea Regina Tuæ subjice; censui hoc religiosa manui com-
petere, globulos MARIANOS volvere; hi quippe MA-
RIANI globuli videntur mihi ejusmodi cæli, de quibus verè il-
lud Evangelij usurpavero: Simile est Regnum Cælorum
grano. Certè certius, quàm grandis quicunque Astronomus,
comprehendet sidera his ludere doctus parvulus: talium est e-
nim Regnum Cælorum. Non habeo quidem nisi hanc uni-
cam Sphæraulam, credo tamen nîl de fore ad integram Beatissi-
mæ Virginis corollam; Quod ut persuasum tenerem, Mathe-
sis de Sphæricis me induxit, quando nimirum quemque globu-
lum ex innumeris & equalibus & omnibus maximis circulis
constare demonstravit. Qui circuli, cùm sint figurarum isope-
rimetrarum capacissimæ, illi offerendi sunt, quæ, quem to-
tus non capit orbis, in sua clausit viscera, centrum facta circu-
lo Trismegisti, id est Ter maximi, cujus peripheria nusquam;
de hac siquidem ille: hæc requies mea. & ecce! huc volo,
volo; adde (Amor meus) Angele, adde alas; transfer,
offer, ad hoc centrum volo, huc per Te volo.

DEDI-

DEDICATIO

OPUSCULI,

AD

BEATISSIMAM

ATQUE SEMPER

IMMACULATAM

DEI

GENITRICEM

MARIAM,


COELESTIS TERRESTRISQUE

G L O B I

REGINAM.



AUGUSTISSIMA
COELI TERRÆQUE
IMPERATRIX.



AD pedes Poëta: adpe-
des MAIESTATIS TUÆ
accurro, procumbo
Poëta religiosus, qui-
bus præ creaturis om-
nibus ligata me mea
obligavit. Globum apporto luna-
ri globo insistentibus plantis; Po-
mum affero dandum pulcherrimæ,
quod Tibi non æquitas fabulosi cu-
juspian Pastoris Paridis, sed Ma-
tri Filius, Justitia Boni Pastoris deter-
minavit: Scilicet quia DEUS, fructus
ventris Tuibeneditus, in manibus Tu-
is



is est, totus terrarum Orbis Tuis pedibus subjectus est. Quid enim in auro-
ra adoramus, quod Solis radijs non di-
camus? & quam regionem terræ Phœ-
bus unquam gratiosè arrisit, quæ in o-
culis auroræ gratiam priùs non invenit?
Ô inveniatur, quæ luci approximat Sphæ-
rula nostra! Fictionibus plena Tibi
se finè omni fictione præsentat, omni-
um Poëtarum Te Principem, veræ Sa-
pientiæ Sedem, cum totidem Angelo-
rum Choris novena Pindi nostri Musa
obsequiosissimè decantat: Si enim fa-
bularum opifex Poëta, FABULA verò
VERITAS INVESTITA & obtecta est:
Tuum Principis Poëtarum nomen est;
quæ pulcherrimam, mundóque utilissi-
mam fabulam condidisti, quando Veri-
tatem æternam in CARNEM & CAR-
MEN illigatam utero Virgineo CONDI-

)b(

DI-



DISTI. Et hæc Poësis propriiſſimè mi-
hi dicenda videtur HUMANITAS, in qua
DEUS ipse *ποσειδῆς ἕγανῆ καὶ γῆς* habitu inveni-
retur ut HOMO. Suscipe igitur, Prin-
ceps Humanitatis Augustissima, Poë-
tam Tuum in Sphærulam hanc conglo-
batum, totum Tibi incurvatum, totum
substratum; Quem si vel pede attin-
gere dignaberis, VERSUM feceris, SER-
VUM effeceris.

MAJESTATI TUÆ

à pedibus dictum, ex corde dicatum

V. S. S. J.



FACULTAS

R. P. PROVINCIALIS SOCIET: JESU PER PRO- VINCIAM BOHEMIÆ.



um Opusculum (cui titulus, Cælum Poëti-
cum) à Patre Vito Scheffer nostræ Societa-
tis Sacerdote conscriptum, tres ejusdem
Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in
lucem edi posse judicaverint: potestate ab Admodum Re-
verendo Patre nostro CAROLO DE NOYELLE
Præposito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo,
ut typis mandetur; In quorum fidem has literas manu
meâ subscriptas, & sigillo Officij mei munitas dedi. Ve-
tero-Pragæ 8. Septembris, 1685.

(L.S.)

BARTHOLOMÆUS CHRISTELIUS.



AD LECTOREM.

Nnumera propè rerum congeries oculo ob-
icitur Physico Sphæram Astronomicam ijs, quibus
solet, figuris pictam adspectanti, sed longè major
oculo Poëtico ad fabellas, quæ de ipsis his figuris
à Veteribus & confictæ, & conscriptæ sunt, respici-
enti. Unde primum quod curioso istiusmodi oculo incidere po-
test, est: quid hæc significant? quare hîc Aries? quare Taurus?
Cancer & Leo? cur Aries in Martio, & non Taurus? cur Gemini
sunt in Majo, & non in Febuario? rursus quid sibi vult Perseus in
eodem segmento globi cœlestis cum Ariete? quæ connexio Orio-
ni, armato, atque cataphracto viro, cum imbelli, quem sub pedi-
bus habet, lepusculo? & hoc in segmento Aprilis, cum Tauro &
Erichthonio? quid ad has quæstiones respondebimus? an illud
tritû: *stat pro ratione voluntas; sic Authores voluerunt?* præclare enim
verò; responsio hæc solvit omnia, sed non oculo erudito; qui,
cùm viderit, ideo Cancrum ad Junium positum esse, ut per Can-
cri retrogressionem occultè Solis regressus, qui contingit in Junio,
depingeretur, mox suspectum habet & Taurum, in Aprili positum,
quòd probabiliter & is suis cornibus aduncis significet acutius
quid, quàm oculus taurinus in oculo Tauri pervideret; & sic de
alijs. Quod si quis respondeat: ideo has figuras esse positas in
cœlo astronomico, quòd noctu, lucentibus astris, asterismi, seu
stellarum conjunctio, has figuras situ suo & coordinatione mutuâ
exprimant. Ille quidem rationem dederit de nocte, sed iterum
de nocte, nec oculo. Quæso enim, tametsi una, alterâve figura
per



per stellas satis commodè exprimat, exempli causâ: Coronæ Borealis, Deltoton, Urfa major, Pisces; quid invenies in Cancris asterismo simile Cancro effigiatum? quid in Canicula? quid vides viro simile in Erichthonio? Quid obest, quò minus Capellam Erichthonij (si stellas spectes) vel Corvum dicas, vel Aquilam? Pingam tibi asterismum Vulturis cadentis, cum Corvo, Aquila, Antinoo, Capella &c. & eris mihi magnus Apollo, si Lyram à Capella dignoveris; unde? ex pictura? hanc omittam: quaritur enim, quare has stellas in figuram talem & non aliam posuerunt? quare non ex fluvio Eridano Serpentem & vicissim fecerunt? quare non ex Lepore Canem? quid ad hæc? clarissimum est oculo iudice, hanc causam non posse allegari: eâdem enim facilitate ego Virginem, aut aliud quidvis, quàm Leonem ex Leonis asterismo efformabo. Jam verò, si altiùs quæstio penetret, eruâtque: cur Hercules everfus pingitur, & stat erectus Ophiuchus? cur Gemini ità in omni globo efformantur, ut unus eorum pedum extremitates habeat in segmento Tauri, seu Aprilis, & reliquo toto corpore sit in segmento mensis Maji? cur Navis usque ad quatuor segmenta extendatur? Stellæ (jam ostensum est) id non exigunt; Dicēsne iterum: *quia sic placuit*? Sed, credámne Eruditis sinè ratione hoc præ illo placuisse? Ergo videtur subesse ratio, ad quam oculus eorum respexit, dum sibi deinceps in imaginatione, postremùm in globo has figuras designavit. quæ illa? Nonne pulchrum hoc esset visu videre: ideò est hîc Aries, & non alibi; ideò hîc Capricornus, & non alibi; & ideo sic extensa Navis, sic secta Urfa; ideo minor supra majorem, & inversè locata; ideo Hydria seu Crater in Corvum inclinatus, & sic de cæteris omnibus. Nonne jucundissima visu ratio, quare Hercules inverfus, quare Lyra in ventre vulturis, quare stans super Erichthonium Capella? longè verò delectabilius esset, si ità omnia hæc tam disparia connecteret, ut quasi uno glomi filo globi explicationem evolveret, ostenderetque



fic & non aliter, hîc & non alibi, hæc pingi & fingi eruditè potuif-
se, propter rei, quæ subest, veritatem. Credo equidem, curio-
sum & sciendi cupidum oculum, non posse non ad hæc nictitare,
annueréque simul & innuere, ut velum inteçtæ veritati isti quam-
primùm deponatur, quò beatitudine fruatur sua in visione tâ bea-
tifica cœli Poëtici: Neque enim figuræ hæc aliud sunt, quàm tapes
elegantissimus quispiam Minervæ eruditissimæ manu variegato
colorum fabellarúm; intertextu adornatus ad historicam quan-
dam, eámque unam continuam veritatem scitissimè occu-
lendam. quæ illa? ostendam. Vide sis priùs tapetem.





DIVISIO CÆLI P O E T I C I.

ET QUÆ IN SINGULIS SEGMENTIS
Contenta.

SECTIO PRIMA A R I E T I S.



Tota Sphæra Poëtica Poëtis cum Astronomis ex æquo divisa est, per sex circulos, ut ij vocant, maximos, δωδεκάμοιρος, id est: in partes duodecim Magacosmi. Magnæ partes; nè mirare, cultro Poëtico nil est impenetrabile; grandè scindunt Vates; testes adduco Historicos, Livium L. r. ab Urbe: ejusdémque concisorem Florum, qui Actium, seu ut alijs scribere malunt, Accium Navium, inclytum Tarquinij Prisci temporibus Augurem, ajunt inspectante Rege novaculâ cotem discidisse.

A

hæc



hoc cotem? Parnassum bicollem, Enthei fontem, aspiciamus, & hâc ipsâ Vatum acie in montem bicipitem bissectum esse animadvertemus. Sed ubi grandia segmenta, ibi grandia continentur. Inspiciamus!

§. I.

Quomodo Aries in Coelum venerit.



IN prima duodecim partium substantiale est Aries. Ex parte una caput grandissimæ Balænae, & Fluvius Eridanus; ex altera Perseus armatus capite Medusæ, & ense; Andromedæ pedes, quorum unus insistit triangulo Deltoton; Sedens: Cassiopea; & pedes Cephei. Quæritur quomodo hæc Cælum. Poëticum stellatum intraverint?

Primò de Ariete narrat vetustissima prætextatæ Veritatis nutrix Poësis: Athamas, Æoli Ventorum Regis filius, duxit Nephelen uxorem; sed cum Nephelle furore liberi Patris concitata in Sylvas abisset, Athamas liberis suis novercam superinduxit, nomine Ino, nutricem Bacchi; Privigni duriter ab hac noverca habitus, Phryxus & Helle soror ejus, statuerunt fugere: unde Pater illis arietem aurei vellereis dedit, cum quo profugere: Intelligens Juno hanc novercæ crudelitatem, & parentis in novam uxorem immodicum affectum, qui proles proprias è domo paterna ejus passus sit, irâ vehementer exarsit, & furias Athamanti immisit, quibus miseractus in insaniam putabat appropinquante novâ uxore Ino, se videre Leenam; turbatus igitur arripuit filiolum Learchum, & saxo eum illisit. Uxor verò Ino hoc videns corripit & ipsa alterum parvum Melicertam, fugit, seque unâ cum infante ex præcella rupe in mare præcipitat. Cujus Neptunus misertus ex intercessione Veneris mutavit ipsam in Deam marinam, quam Græci Levcotheam, Latini Matutam, vel Auroram dicunt. Phryxus interea cum Helle fugit; ventum est ad mare; trajecit prior in ariete Phryxus; Helle subsequuta, sed puellari timore exterrita cecidit in Pontum, mersa est: unde illud mare hodie dum vocatur ab ejus nomine *Helles Pontus*; Phryxus progressus feliciter venit in Colchidem ad

Regem Æeten, ubi Jovi arietem consecravit, & aureum vellus in templo suspendit; pro quo dein Jason cum lætissima juventute Græciæ in Colchidem navigavit. Gratium habuit sacrificium Jupiter, accepit arietem atque illum inter sidera collocavit: hinc Ariès, Taurus, &c. Hæc disertè citata invenies in Calepino voce Athamas. Vide Ovid. L. 4. Metamorph. hæc omnia ità graphicè narrantem, ut ab hujus, similiúmque rerum *visione Ovidij* sibi nomen meritò vindicare videatur; isque unus sit, qui, si Historicus ab *ἱστορίων* (ut volunt) id est: inspicio, video, dicitur, eò quòd enarret, quæ ipse viderit, sufficere possit, ac debeat ad molem Poëticiæ Historiæ, quantumvis sidera eminentiam, immobiliter fulciendam. Quem proinde non tam novercantis Fortunæ persecutio, quàm occulta Poëtitorum Numinum dispositio sub polo Arctico collocasse videri possit, ut tacitè innuerent Dij: Viri hujus Authoritati ità innitendum esse Poëticis in narrationibus, uti tota universi machina extremis innititur axeos punctis, id est: polis; nec alibi, quàm isthæc rerum hujusmodi machinas ut verti, sic adverti.

§. 2.

Quomodo Perseus, caput Medusæ, Cepheus, Cassiopea, Andromeda, & Cete ad Cælum venerint.

DUæ Sorores Gorgonides dictæ, habebant unum tantùm oculum; hærum altera vocabatur Medusa. Hæc aureos, quos gestabat capillos, studio, quo posset maximo, excolebat, se seque adornabat; quos ipsos ob crines à Neptuno adamata est. Castissima verò Minerva indignata, quòd Seni istiusmodi capiundo per aurea hæc retiacula castes jacerentur, maledixit Medusæ, ut capilli ejus in turpissimos Serpentes verterentur, & quicquid ipsa posthac aspectura esset, id in lapidem induresceret, quòd & factum, unde illico grandis strages inter homines & pecora: nam quicquid à Medusa visum est, lapidescebat. Miserabili hæc facie regionis illius intellectâ Perseus Jovis sub aureo imbre è cælo lapsi filius, ratus hanc opportunissimam fore occasionem aeterni nominis inter mortales sibi comparandi,



di, accepit *talaria* à Mercurio, *ensem* à Vulcano, Harpen dictum, & *Scutum* à Minerva, & volavit in insulam Gorgonidum. Contigit fatò Medusæ sinistra, ut in adventu Persei Medusa altum unà cum omnibus Serpentibus dormiret, non dormivit in negotio suscepto Perseus; sed laneo pede surrepens capita sopita ictu uno omnia demessuit, & ecce mirum! mox ex resecto capite profiliit Pegasus, qui deinde ungulâ suâ Musis fontem excussit; & frater ejus, Chrysaor nuncupatus; arrepto igitur celeriter capite, talaribusque excussis, jactat se in sublimem aëra, unde venerat rediturus. Interea Cassiopea uxor Regis Cephei nimis sibi in forma sua complacens insultavit Nymphis. Deæ, ut in hoc puncto Gynæceum tenerum est, præsumptioni poenam inflaturæ, rapiunt Cassiopeæ filiam, quam habebat, pulcherrimam Andromeden; alligant scopulo marino, immittunt monstrum ad eam terrendam credo potius, quàm devorandam, ut hóc pacto in filia mater formæ lueret suæ delictum. Hæc ergo Perseus ille auræ tantisper relictus transvolabat; qui, ubi Virginem saxo alligatam vidit, & causam sciscitatus ex ipsa intellexit, pactus est cum parentibus, se liberaturum filiam, si hæc sibi in sponsam traderetur; dictum factum. Pugnat cum balæna, occidit monstrum, mergit, solvit Andromedam, desponsat sibi, unde propter virtutem Persei, Cepheus Cassiopea, & filia Andromeda, Cete verò in ejusdem facinoris æternum testimonium à Minerva in cælum translati sunt, fulgéntque hodie in segmento Arietis. Hæc passim obvia in Calepino, præsertim in voce Perseus, Medusa &c. longum foret singula percensere, quæ in eodem itinere Heroi evenerint; Ovidius Historicus in paucis verax omnia fusè, prosequitur. Lib. 4. Metamorph.

§. 3.

Quomodo Eridanus Fluvius in cælum venerit.

PAdus Fluvius est, è gremio Vesuli montis celsissimum in cacumen elati, finibus Ligurum Vagiendorum visendo fonte profluens, condénque se se cuniculo, & in Forovibiensium agro itèm exoriens, nulli omnino annium claritate inferior; à Græcis dictus Eridanus, à pœna



na Phaëthontis illustratus ; augetur ad canis ortus liquatis nivibus &c. hæc Plinius L. 3. c. 16. Virgilius quòd omnium Italicorum Fluviorum maximus sit, Regem Fluviorum compellat. Est autem hic fluvius dictus Eridanus, ab Eridano Clymenes Nymphæ & Solis filio ; qui, cum Epapho Jovis filio non cederet (Natalis Comitibus verba sunt Mythol: lib. 6. c. 1.) séque solis filium esse gloriaretur, hunc falsò gloriari inquit Epaphus. de quo sic Ovidius L. 1. Metamorph.

*Nunc Epaphus magni genitus de semine tandem
Creditor esse Jovis : perque Urbes juncta Parentis
Templa tenet. Fuit huic animis equalis & annis
Sole satus Phaëthon ; quem quondam magna loquentem
Nec sibi cedentem, Phæbòque parente superbum
Non tulit Inachides : matrique, ait, omnia demens
Credis, & es tumidus Genitoris imagine falsi.*

Quæ etiam habet Zaze Chil: 4. Hist. 137. Eridanus autem hic, Phaëthontis nomen accepit à Græco φαέθω ardeo ; quòd infelici casu suo totum pene Orbem ardoribus concremârit : Cùm enim Epaphi contumelijs exagitat, suavis matris, Solem parentem adijisset, petijissetque, ut in testificationem sui clarissimi generis paternus sibi currus regendus traderetur, per unum saltem diem, patris quidem consensum, licet grandi cum difficultate, obtinuit ; sed dein, quod prudenter metuit Parens, Zodiaci animalibus, præsertim Scorpione, perterritus, facilis nimiùm lora furentibus equis in avia súlque deque errantibus concedens, Orbem incendijs, semet ipsum verò Jove irato, & in caput præsumptuosi juvenis fulmina vibrante exitio dedit ; quo casu in fluvium, de quo in præsentem agimus, lapsus, extinctusque suum illi nomen Eridani intulit. Quare sol mœstissimus Phaëthontis parens à ceteris Dijs impetravit, ut Eridanum justæ magnitudinis stellis in perpetuam luctuosissimi casus memoriam, atque quoddam velut charissimi gnati Mausoleum posset in Cælo repræsentare. Res totius Orbis incendio clara evasit toto orbe, legiturque in nullo non Poëtarum, sed nos relictis quibuslibet, Historicum nostrum Ovidium, à veritate eximium, paulò sonantiùs rem enarrantem appellamus. L. 2. Metam. Hæ Fabellæ sunt. Redit quæstio: quid ità ? quid hæc ? quid hic ? Cete sanè seu balæna aperit os, & ostendit dentes: viderur monstrum gratiosum semet ipsum, sicut & cetera, ridere, quòd simul, & hiis convenerint. Cassiopea tenet gramen in manu, herbam porrigit, objectas & objicibiles vincenti difficultates ; quis penetrabit ad hoc arietis vellus aureum



reum? (Jafon debuit prius vincere Taurus, antequam obtineret vellus aureum. Vide Ovid. in ep: Med: &c.) Jafon? nunquam sine Medea. Magi hoc opus est; Tauri superandi sunt; nos proximum aggrediamur.

SECTIO SECUNDA T A U R I.

§. I.

Quomodo Taurus in Cœlum venerit.



NSecunda Sectione Substantiale est Taurus, à cujus latere uno Orion cataphractus miles, scuto & clavâ, & ense armatus flectit, expansis atque in altum protensis brachijs, cujus sub pedibus lepusculus jacet. Ex altera parte Erichthonius, cui alicubi capella super humeros sedens appingitur, & fræna equorum in manibus; alicubi plures capellæ ad latus.

De horum in cœlum translatione, sequentia:

Evropa filia Agenoris Phœnicum Regis exivit quæsitum flores, cum alijs virginibus; venit Jupiter in specie Tauri, abstulit illam; unde postmodum Taurum ipsum inter sidera collocavit. Ovid. Metamorph. 2. Hyginus in Fab. Astron. & ex isto Natalis Com. Mytholog. L. 8. c. 23.

§. 2.

Quomodo Orion in Cœlum venerit.



ORion parentem habuit Hyreum, ad quem per varios casus peregrini Jupiter, Neptunus & Mercurius tandem devoluti sunt. Agnovit (unde? Phœbus dicat) Hyreus se hospites habere Deos; quare festinat sacrificare, affert bovem, immolat. Placuit superis pie-



pietas. Quæsierunt ex hospite, quid gratiæ obtentum vellet? quibus ille: filium. Jussus igitur est afferre pellem immolati bovis. Hic Dij tres triplicem aquam in pellem confundunt, cum mandato: terræ hanc pellem manderet, fore ut post tempus filius ei exinde oriretur. Et ecce! non multò post puer Orion ex terra protenditur, exurgit, crescit, procurrit, Dianæ adjungitur natus ad venationes; in eum enim virum evasit, qui feram quamvis sterneret, sibi que subderet. Hæc illi superbiendi materies, ut jactaret: nullam bestiam dari, quam ipse suis nequiret pedibus subicere. Dictum insolens superos ad indignationem movit; hi itaque Scorpionem contra Oriona armanant, qui eum caudâ lethaliter ictum interemit. Diana, ubi casum fidisfimi clientis cognovit, ejus miserta, hominem ad cælum transtulit, Tauróque, cum & ipse ex taurina pelle genitus esset, adjunxit.

Hæc leges partim apud Natalem Comitem Mytholog; L. 8. c. 12. partim apud Lucanum, totum ex diversis apud Calepinum.

§. 3.

Quomodo Erichthonius in Cælum. venerit.

Erichthonius, filius est Vulcani; Sparsit hic femina humi, unde crevit puer Erichthonius, cui locò pedum fuerant angues. Puduit adolescentem sic incedere; unde pro suo, quo pollebat ingenio, excogitavit currum, curavit se vehi. Hic Author est Rhedarum. Sic Servius. Describit hoc etiam Virgilius L. 3. Georg.

*Primus Erichthonius currus & quatuor ausus
Fungere equos, rapidisque rotis insistere Victor.*

Quid autem illi cum capella? caprisque? non capio. Et hoc in Aprili? Si quem ad quem mitterem, credo & hic & ille diceret, me mittere in Aprilem. Mittamus interea Aprilem. Fortè Majus lucebit quid majus.

☼(☼)(☼)

SECTIO TERTIA GEMINORUM.

§. I.

Quomodo Gemini ad Cælum venerint.

IN hoc Segmento Geminorum, substantia sunt Gemini. Ex una eorum parte Urfa major aperto rictu super pueros hians; ex altera eorundem duo Canes, unus Procyon dictus, seu vulgo Canicula. Alter *canis major* etiam in astris Sirius nuncupatus. Et hic quidem fulgidissimam in ore stellam habet, à qua Sirius dicitur, estque Argonavi ad proram veluti affixus. Geminorum nomina sunt: Castor & Pollux, à iuramentis Gentilium *ede Pol! me Castor!* notissimi. Fraterculi sunt ex duobus ovis candidis in terra nati, cum pulcherrimis Sororculis Helena & Clytemnestra. Erat autem Pater horum ovorum Jupiter, qui se in Cygnum transformavit, in terras devolavit, & pulcherrimas has proles progenuit, formæ elegantîâ, nobilitate indolis tam sibi similes, quàm ovum ovo; dignus Jove factus! Similitudo colorum, morum, mater amorum, peperit, quod solet, hos inter eam dilectionem, quâ non tam unus alterum, quàm semet alter in altero amplecteretur; medulla Germanæ fraternitatis! Placuit Joviali parenti cordialis isthæc unio, concessit immortalitatem uni; sed Pollux moriendi cupidine propè emoritur, ut Castor perennet; mille vitas contra projectare parat Castor, modò maneat Pollux immortalis. O dulcedo amoris! quæ mortis tollis amaritudinem, ubi vitam tollis; non tollis, attollis in amati vita perennaturam. Diu actum est utrinque, actum utrinque: non vivam ego, ut vivat alter ego, ut vivat ille, sic agebat iste, sic ille; amantium litem dirimit æquus Jupiter; statuit, ut in uno moriente alter revivisceret, atque ita uterque moreretur, uterque perpetim repetitâ vitæ vicissitudine immortalitate donaretur, caente Virgilio 6. Æneid.



Si Fratrem Pollux alternâ morte redemit,

Itque reditq, viam toties

Tandem uterque, tum quòd Deorum essent progenies, tum quòd præclara terris edidissent facinora, inter sidera relati sunt. Theocritus in Dioscuros. Homerus in hymnis. Apollonius c. 1. Pausanias in Arcadicis & Laconicis &c. Sed clarissimè translationem eorum inter sidera recenset Historicus noster Fastorum §. his versibus:

Iamque tibi Pollux Cælum sublime patebat.

Cum mea dixisti percipe verba Pater;

Quod mihi das uni Cælum, partire duobus,

Dimidium toto munere majus erit.

Dixit, & alternâ fratrem statione recepit,

Utile sollicitæ sidus utrumque ratæ.

§. 2.

Quomodo Ursæ in Cælum venerint.

Sciendum, quòd animalia in Cælum translata sint, vel quia Dij eorum in speciem se transformârunt, ut de Tauro ostendimus Sectione 1. §. 1. & deinceps ostensuri sumus; vel quia in ijs à Dijs vel Deorum Filijs grande quid ostensum, ut patebit in Leone, Cancro, &c. vel quia Dij ab illis speciale quod beneficium accepère, ut in præsentì monstratum imus. Jupiter Saturni filius recens natus, cùm Pater ejus vel oraculo doctus fore ut à filio Regno pelleretur, vel quòd ita convenisset cum Titanibus, ut filios omnes à se genitos occideret, mox morti destinatus est: Sed eum Rhea subduxit, & clàm per dies aliquot educavit; dein quibusdam alijs enutriendum concredidit. Jam de his ipsis nutricibus diversissima Poëticis inter Historicos sententia est; unde in hæc Natalis Comes Mythol. L. 2. c. 1. incertum adhuc est, & omni contentione plenum, ubi natus sit Jupiter, aut ubi, aut à quibus educatus; neque quispiam eorum, qui Deorum ortus & naturas investigârunt, quidpiam certi de loco aut educatione tradidit; hæc ille. Subjungit: mox ajunt, cùm occultandi vagitûs gratiâ Cymbala & Tympana & alia tinnientia instrumenta pulsarentur, apes ad tinnitum advolâsse, & illum educâsse; & alij dicunt à Nymphis alendum fuisse datum Capris; alij Ursæ



ubera laxisse. Totidem ipse ille ibidem. Ab apibus educatum fuisse asserit quoque Virgilius L. 4. Georg.

*Nunc age naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediam; pro qua mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiæque era secuta
Diææo Cæli Regem pavere sub antro.*

Lactantius in libro de falsa Religione ab Amalthea & Melissa filiaibus Melissei Cretensium Regis Caprino lacte & melle nutritam scribit. De autricibus autem Jovis habetur in commentarijs in Apollonium Rhodium: eas in *ursas* mutatas esse; qua de causa, illic non addit; unde & mons in quo habitaverunt *ursus* dictus est. Calepinus in voce Arcton in rem nostram affert sequentia: Arcton *ἀρκτων* mons, qui imminet Cyzico ita dictus à Jovis autricibus, quas illic in *ἀρκτων* id est in *ursas* migrasse tradunt. Alij rursus à *Columbis* ab *Aquila* à *Capella* enutritum asserunt; ita Maro sequentibus:

*Hunc in spelunca sacra pavere columbae,
Fluctibus oceani ambrosiamque tulere volantes;
Ast aquila huic nectar de petra dulce quod hausit
Mox vestro sublimè volans afferre solebat;
Hanc Pater altitonans mox Regno victor adempto
Esse immortalem voluit, celoque locavit.*

Hic terminum attingi, propter quem longiorem hactenus feci circuitum: nimirum *Aquilam* ideo in cælum venisse, quod Jovem aluerit, quod superius me ostensurum spondei. Hinc, quia incertum, quod animali nutritus sit Jupiter, sed aliqui à columba, alij ab aquila, alij ab uria enutritum referunt, ideo hæc omnia animalia à Jove cælo inserta creduntur. Sic clarissimè Aratus in Phænomenis testatur de Capra:

*Sacra Jovi capra est, quod præbuit ubera parvo,
Et Historicus noster omni exceptione major secundo Fastorum.
Olenia surget sidus pluviale Capelle,
Quæ fuit in cunis officiosa Jovis.*

Idem igitur de columba, sicubi in Cælo Poëtico eam repereris, idem de uris, de quibus nobis isthæc quaeritur, responsum habe. Nam licet Hesiodus scribat, ursam majorem fuisse Helicem, quæ aliter Calisto audit, ut Ovid: Met. 2. Lycaonis Regis Arcadiæ Filiam, & à Diana in ursam conversam, atque de in Jovis miseratione in Cælum translata, id non obest dictis, imò optimè com-



combinatur; cùm is in Arcadia natus & educatus dicatur apud Com: Natalem loco sæpiùs citato de Jove: potuit enim hæc Helice & nutrix à Diana in ursam conversa fuisse; cùm neque de nutricum nomine, neque causa Metamorphoseos earum quidquam (ut præmissum) certi asseratur. P. Michaël Pexenfelder in Ethica Symbolica Symbolo 10. citat Natalis Comitibus L. 2. c. 1., ubi asseratur ursam minorem (quæ Cynosura appellatur) è nutricibus Jovis fuisse, ideòque cælo receptam, ut quidam ingeniosè luserit:

*Hirsutos effæta sibus, scabramque papillam
Gnosia lactanti præbuit Ursa Jovi;
Hinc tenuit primam prima inter sidera sedem,
Navibus irato suspicienda mari.
Sic vilis, sit inops, sit agresti agrestior ursa,
Quem Regum extollit gratia sidus erit.*

§. 3.

Quomodo Canes in cælum venerint.

DE cane majore habentur hæc ex P. Michaëlis Pexenfelder Ethica Symbolica Symbolo 45. Occasio hic incidit canis, inquit ille, cui nomen Lælaps, quem Cephalus unà cum jaculo, cujus ictus erat inevitabilis, ab uxore Procri, hæc ab Aurora dono accepit, quo se se Cephalus in sylvis assiduè oblectabat; nam canis

*Non jaculi, non retis egens quemcunque sagaci
Nare procul legeret, dente tenebat aprum.*

Hæc denique oblectatio, uti narravimus, in luctum desijt (describitur Metamorph. L. 7.) Procris suis ipsamet muneribus miserimè periijt, cujus fatum miseratus Jupiter, canem inter astra retulit, qui Sirius dicitur, id est ab hiando, quod per æstum canes faciunt; vel ἀπό τῆς σεραίνης quod est arefacio: hoc enim sidus circa Julias Calendas exoriens omnia torret. Nunc de Cane minore, seu Canicula. Illustrabit confirmabitque hic locus mirè ea, quæ de Virgine libræque dicturi sumus; unde totidem verbis, quot descriptum reperi apud prænominatum P. Michaëlem Pexenfelder in citata Ethica symbolo 5, huc transferibam: quia Astrææ, seu Justitiæ facta mentio,



plufculum de ea dicendum eft. Aliqui volunt Jovis & Themidis (quæ Græcis idem quod Fas) eſſe filiam, alij Rege Afræo viro juſtiſſimo (unde nomen habet) & Aurora natam ſcribunt: quidam Icarium Oebali Regis Laconix filium & Auroram parentes ejus faciunt, ajuntque ab iſtis Erigonem vocatam. Proſequitur dein fuſius eadem Icarij, cui ſubneſcit: aderat fortè Icario canicula nomine *Mæra*, quæ ad Erigonem reverſa veſtem ejus mordicus arripuit, illamque ſequentem ad patris cadaver perduxit; quæ tantum ex paterna nece dolorem concepit, ut ſe laqueo ſuſpenderet; Mæra quoque tam heri (inquit citatus Author) quàm filix herilis deſiderio contabuit, Jovisque miſeratione in cœlum translata in caniculæ ſtellam, quæ à Græcis, quòd ante majorem canem oriatur, *πρόκυμα* appellatur, converſa eſt; hæc ille. Ubi aſſerit Erigonem Virginem abijſſe in ſignum Zodiaci.

SECTIO QUARTA C A N C R I.

§. I.

Quomodo Cancer in Cælum venerit.



Segmentum quartum, quod menſi Junio attributum eſt, habet ſubſtantiale *Cancrum*; ex una parte caput minoris Urfæ, & corpus majoris; altera caput hydræ, & primam à prora Argonavis partem; de urſis & canibus in prioribus dictum eſt, nunc de Cancro, Hydra, Argonavi agemus; quamvis enim ità animalia extenſa, & inter ſe commiſta ſint, ut unum idemque extendatur in plura ſegmenta, neque ſingulis ſegmentis ex duodecim ſignis unum tantùm diverſumque animal impingatur, tamen hîc pro rei claritate ità diſtributionem ſingulorum animalium Zodiaci in ſingula ſegmenta obſervabimus, ut ſitum, pluriùmque in eodem ſigno conjunctionem atque extensionem in alium locum opportuniùs explicanda ſervemus. De Cancro itaque tradit Hyginus, referente hîc Calepino, illum ipſum eſſe, qui
à Ju-



à Junone in Herculem cum Hydra Lernæa pugnans immisit pedem Herculis momordit; occisus proinde ab eodem à Junone autem inter Sidera re-latus est.

§. 2.

Quomodo Hydra in Cælum venerit.

A Nimadvertendum hic, quòd *Hydra* ista cum *Hydris* seu cum *Cratere* & *Corvo* sit conjuncta in omnibus Sphæris Astronomicis; neque illa sit multiceps, qui cum *Hercules* depugnavit, cui *cancer* (ut præcedenti Paragrapho dictum, in subsidium venit, quòd tamen pronum fuisset suspicari, eò quòd caput hydræ cancro mox subjiciatur; sed Serpentem esse alium, & non sine causa cum cratere & corvo conjunctum historia sequenti Sectione explicanda demonstrabit. Invito igitur lectorem hydræ in cælum translationem sitientem ad *Craterem*, ubi unâ negotium liquidissimè exhauriemus.

§. 3.

Quomodo Navis ad Cælum venerit.

Navis hæc vocatur *Argo-Navis* seu *Argos* ab Architecto *Argo*, estq; ea prima, quæ ausa ventorum minas contemnere, & ad longinquas regiones transfretare, ut sensit de ea historicus noster L. 3. de tristibus.

*Non rate, quæ curâ pugnacis facta Minerva,
Per non tentatas prima cucurrit aquas.*

Hanc conscendit *Jason* cum lectissimis Græciæ Ducibus aureum vellus ex *Colchide* asportaturus. Enimverò Natalem Com. recito L. 6. Mythol. c. 10.) post *Colchicam* navigationem, cum *Argos* incolumes delectos *Heroes* in patriam revexisset, fertur fuisse *Palladi* à *Jasone* consecrata, quæ deinde, quia



quia tot Deos servasset, fuit inter sidera collocata, verso ordine, ut prior pup-
pis, quam prora oriatur, ut in hisce Aratus:

*At Canis ad caudam Serpens praelabitur Argo,
Conversam praese portans cum lumine puppim.*

SECTIO QUINTA LEONIS

§. I.

Quomodo Leo in Cœlum venerit.

LEo hujus Sectionis principale est; ex parte Boreali est cauda ursæ majoris, quam postea iterum apprehendemus, ut cum Sarmata illo, de quo Bidermannus scribit, in foveam melle plenam lapsa nos ex dulci difficultate feliciter evolavimus. Nec Draconis caudam hinc attingemus; à capite incipit, qui pellem Serpenti detrahit. Neque canes venatici Bootis effugient proxime arripiendi. A parte Australi plenis velis, remisque pergit Argo-navis, cum hac agemus interea, quod solent agere insulani in insulis canarijs, olim Fortunatis dictis, dum Evropei in Americam plenis velis remisque pergunt, *finemus pergere*. Amphoram hinc, illic in littore anchoram teneamus. De Leone compendiosè Calepinus in voce Leo hac habet. Leo cœleste signum apud Plinium L. 7. c. 24. quem putant fuisse Leonem Tevmesium ab Hercule occisum, in cœlum à Jove translatum. Memoriae prodidit Chrifermus L. 2. Peloponesiacarum, Junonem supplicium de Hercule sumere volentem Lunam in auxilium accivisse, carminibus magicis usam, quæ cistam spumâ implevit, è qua natus est hic Leo. Hunc Iris in gremio stringens in montem Opheltam deportavit, à quo eodem die Apcelantus pastor fuit dilaniatus, ut ait Demodotus in rebus Heracleæ. Refert hoc Natalis Comes Mythol. L. 7. c. 1. & subjungit: quod factum est in monte exiguo Bœotix Tevmesio nomine.

§. 2.



§. 2.

Quomodo Hydra Crater & Corvus ad
Cælum venerint.

TRactat hanc Historiam, ut solet veritatem, blandissimè Ovidius noster fastorum 2. quam ipsam, cum & modica & bona, quia plena saporis sit, juvat hic delibandam proponere.

*Continuata Leo, tria sidera, Corvus & anguis,
Et medius crater inter utrumque later.
Idibus illa latent: oriuntur nocte sequenti,
Qua tibi cur tria sint tam sociata, canas.
Fortè Jovis Phœbus festum solemne parabat,
(Non faciet longas fabula nostra moras)
J, mea dixit avis, nè quid pia sacra moretur,
Et tenuem è vivis fontibus asser aquam.
Corvus in narratam pedibus cratera recurvis
Tollit, & aëreum pervolat altus iter.
Stabat adhuc ficus duris densissima pomis,
Tentat eam rostro, non erat apta legi.
Immemor imperij sedisse sub arbore fertur,
Dum fierent tardâ dulcia poma morâ.
Jâmque Satur nigris longam rapit ungvibus hydrans
Ad Dominumque redit, sistâque verba refert.
Hic mihi causa moræ vivarum obsessor aquarum,
Hic tenuit fontes, officiûmque meum.
Addis, ait, culpæ mendacia? Phœbus, & audes
Fatidicum verbis fallere velle Deum?
At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus,
De nullo gelida fonte bibentur aquæ.
Dixit. & antiqui monumenta perennia facti
Anguis, avis, crater, sidera juncta micant.*



SECTIO SEXTA VIRGINIS.

§. I.

Quomodo Virgo in Cælum venerit.



Virgo in hoc segmento Princeps est. Ad Septemtrionem Bootes canibus vestitus & hastâ; ad meridiem corvus, qui præmissus redibit scilicet iterum postquam bonum erit ficus comedere, puta dulcem ex his adhucdum crudis frondibus fructum percipere. Prora Argonavis, & priora posteriorum Centauri, quem ibi, ubi lupum in fabula deprehendemus. Virgo igitur suâ insignis spicâ his Scriptorum pennis in cælum evolavit. Erigone Icarij filia fuit teste Hygino, quæ ex dolore paternæ necis quem rustici temulenti occiderunt, se ipsam suspendit, Deorumque miseratione in cælum translata *Virginis* nomen obtinuit. Vide Calpinum in voce Erigone. Virgil. 2. Georg.

*Qua locus Erigonem inter chelâsque sequentes
Panditur.*

Hæc eadem ab alijs Astræa vocatur; uude facile visu est, quomodo *Læbra* in Cælum venerit, cum hæc justitiæ æquissima sit administra de qua Lilius Gyraldus in Historia Deorum hæc habet. Hanc finxerunt Astrologi signum in Cælo Virginem, & Aratus in primis qui asserit, spicam in manibus ferre splendens.

§. 2.

Quomodo Bootes in Cælum venerit.

Bootes fuit, sicut refert Hyginus, Jovis ex Calisto, quam in Ursam conversam diximus, filius, Licaonis Regis arcadiæ, qui unâ cum matre in

in cælum est translatus, & illi veluti custos appositus, unde & nomen habet Arctophylax, hæc apud Calepinum in voce Bootis, & voce Arcas reperies: Arcas nomen Jovis filij ex Calisto, à quo Arcades originem ducunt. Est igitur ipsus hic Bootes idem, qui Arcas, de quo Natalis Comes L. 9. Myth: c. 9. hæc; Fabulantur etiam Arcadem cum adolevisset acceptum frumentum à Triptolemo suis populis tradidisse, panem facere docuisse. Sed canes illi appinguntur venatici & hasta, eò quòd venationi deditus esset admodum, quemadmodum mater ejus Calisto, de quibus Ovidius Metam: 2.

*Ecce Lycaonia proles ignara Parentis
Arcas adest, ter quinque ferens natalibus annis;
Dumque feras sequitur, dum saltus eligit aptos,
Nexilibusque plagis sylvas Erymanthidas ambit,
Incidit in matrem, qua restitit Arcade viso,
Et cognoscenti similis fuit: ille refugit
Immotusque oculos in se sine fine tenentem
Nescius extimuit, propiusque accedere fugit.
Vulnifico fuerat fixurus pectora telo,
Arcuit Omnipotens; pariterque ipsosque nefasque
Sustulit, & celeri raptos per inania vento
Imposuit cælo vicinaque sidera fecit.*

SECTIO VII. LIBRÆ.

§. I.

Quomodo Libra in Cœlum venerit.



Libra pondus obtinet maximum in hoc segmento. Ex hujus Boreali latere est corona Borealis, & initum, seu caput anguis; Ex Australi præmemoratus Centaurus cum lupo; de singulis breviter pro instituto. Libra infigne est Justitiæ seu Astræ; quæ Astræa cum eadem sit (ut Sectione præ-



præcedenti præmissum est) quæ Erigone Authorum judicio, ab ipsa Erigone Libra in cælum asportata est.

§. 2.

Quomodo Corona Borealis in Cælum venerit.

A Scribo Compendium ex diversis Calepini, in voce Ariadna. Ariadna filia Minois Regis Cretæ ex Pasiphaë uxore, cujus industriâ Theseus ab Atheniensibus Cretam missus, ut à Minotauro devoraretur, Labyrinthum filo duce, quod Ariadna dederat, evasit occiso prius Minotauro. Theseus autem ejus amore captus, quum in patriam reverteretur, eam abduxit. Sed prioris beneficij immemor abductam in insulam Chio seu Naxo perjurus deseruit; quam Bacchus postea in uxorem duxit, ejusque coronam novem stellis ornatam, quam à Venere, vel, ut alij, ab ipso Baccho acceperat, astris intulit, vocaturque Gnosia. Hæc ille ibidem. Aratus in Astronomicis pressius expressit hisce:

*Atque corona nitet clarum inter sidera signum
Defunctæ quam Bacchus ibi dedit esse Ariadnae.*

§. 3.

Quomodo Anguis ad Cælum venerit.

A Nguis hic est Ophiuchi, quod latinè sonat *Serpentem habentis*, ab ὄφις Serpens & ἔχωμαι habeo. Ophiuchus (Calepinum refero) cæleste sidus est, quod à Poëtis aliquando *Anguitenens* appellatur, eò quòd hominis effigie fingi soleat anguem manu tenentis. Itaque nonnulli Herculem esse putaverunt, qui adhuc in cunis vagiens angues à Junone immisos manibus prævocavit. Sunt tamen qui Ophiuchum Æsculapium esse velint. Quid autem Æsculapio cum Serpente? varia afferunt Mythologi. Lucianus in Dialogo de falso Vate narrat in longum, quomodo

do Æsculapius Apollinis filius in specie Serpentis ex ovo corniculæ natus, ostensus, & creditus sit. Inde Serpens in ejus tutela; & ejus gestamen fuit baculus serpente involutus, ut scribit Dercylus. Ovidius verò L. 15. Metam: asserit Æsculapium in serpentem mutatum. Unde, sive Hercules sive Æsculapius sit, cum uterque Divina fuerit soboles, & propter virtutem etiam inter sidera relatus, patet quomodo serpens in cælum irrepsit. Videtur autem omnino Ophiuchus ipse Æsculapius esse, cum constet ex Sect: 3. §. 3. illum Dijs annumeratum esse, nec alibi usquam stellato in cælo notum existere; contrà verò Herculem, quem mox sequenti Sectione visuri visitaturique sumus.

§. 4.

Quomodo Centaurus in Cælū venerit.

Centauri, qui & Hippocentauri dicuntur, sunt semi-homines, à capite usque ad umbilicum homines, reliquum est equinum. Pingitur eorum unus in hoc Segmento ordinariè scuto armatus, & hastâ, quam lupo ejusdem scuto quasi insidenti in os infigit. Ecce lupus! ubi fabula? lupum vidi, non possum dicere.

SECTIO VIII. SCORPIONIS.

§. I.

Quomodo Scorpius in Cælum venerit.



Substantialior hujus segmēti pars est Scorpius; cui à latere uno Ophiuchus, & Hercules inversus, quorum illum ad libram posuimus priori Sectione, hunc isthïc ponderaturi; ab altero latere *Ara* est, & illa quoque eversa. Quæ tria more nostro festinè colligemus. Scorpius cum Orione à



Diana in cælum translatus est; unde lege quæ diximus Sect. 2. §. 2. de Ori-
one. Subjiciam hîc sensum Corini Delij, qui asserit à Dijs submissio Scorpio-
ne occisum, & Dianæ misericordiâ inter sidera unâ cum Scorpio relatum. Itâ
refert Natal: Com. Mythol: L. 8. c. 12.

§. 2.

Quomodo Hercules in Cælum venerit.

Herculis in cælum viam, si aliam ignoraremus, ille sufficienter no-
bis ostenderet, qui ex Deorum sanguine cretum. Sunt præterea
tot, & tanta ejus opera (ubi non celebrata?) ut & hic solus vectis,
clavam ejus intelligo, virum tantum in cælum elevâsse, si cætera
defuissent, sat clarè videretur. Apollodorus scribit à Pœante succensam fuis-
se pyram, quam Hercules moriturus conscenderat; quare is sagittas dono
acceperit. Lucianus in Hermotimo combustum fuisse ait Herculem, & quic-
quid *mortale* fuit Herculi & labis humanæ id in ea pyra concrematum; quod
autem *Divinum*, in cælum evehctum esse, ut præclare testatur Bizantius Phi-
lippus his carminibus.

Dextra feram Nemeæ petijt mea: perdidit Hydram

Et Taurum: malas inde cecidit aprî.

Baleus est captus; sunt aurea mala relata

Geryonisque boves, & Diomedis equi.

Angias me non fugit; non cervæ, volucres;

Cerberus eductus. Nunc sed Olympus habet.

Sed quare inversus est Hercules in cælo? an quia versipelles nec in cælo
Poëtico rectè vivunt?

§. 3.

Quomodo Ara ad Cælum venerit.

Antequam Jupiter bellum adversus Titanas adoriretur, omnes Deos
jurare super Ara coëgit, quod sibi fidem in ferendo auxilio servarent:
quare ara illa postea fuit inter sidera relata, ut ait in his Arati inter-
pres



pres de sententia Eratosthenis. Inquit autem Eratosthenes hanc aram illam esse, super qua primùm Dij jurârunt, cùm Jupiter bellum aduersus Titanas suscepit, à Cyclopibus extructa. Hoc ille.

SECTIO IX. SAGITTARIII.

§. I.

Quomodo Sagittarius in Cælum venerit.



Aput hujus Segmenti est *Sagittarius*, sub cujus pedibus ad Austrum Corona Australis; ad Aquilonem avis, in cujus ventre lyra; unde stella illustrior ejus asterismi dicitur Astronomis *Lucida Lyra*, avis verò iisdem *vultur cadens* nuncupatur. Secundò *telum* seu jaculum, Sagitta. Tertio *Aquila*. Quarto *Antinous*, quæ singulatim revolvemus. Primò de Sagittario memorat hæc ex alijs Calepinus in voce Chiron. Chiron Centaurus Saturni & Phyliræ filius, dimidiâ sui parte equus, reliquâ homo, ubi primùm adolevit, in sylvas se se contulit, ibique herbarum vires edoctus in præstantissimum medicum evasit, à quo Æsculapius medicinam & Hercules Astronomiam dicuntur accepisse. Postremò, cùm Herculem hospitio suscepisset, armâque ejus contrectâset, evenit, ut Sagitta quædam hydræ Iernæ veneno imbuta illi in pedes decideret; quod malum, quum nullâ ope sanari posset, dirissimis cruciatibus conficiebatur; mori tamen non potuit, quòd utroque parente immortali natus esset. Tandè, quum à superis impetrâset, ut immortalitatè morte sibi liceret commutare, in cæli translatus est, ubi Sagittarij signum. Hæc ex Calepino loco citato, ubi etiam Plinium citat L. 7. c. 56.

§. 2.



§. 2.

Quomodo Lyra in Cælum venerit.

HÆc apud Calepinum sic sonat: Lyra etiam signum cæleste est. Varro L. 2. de re rust. c. 5. hoc secundum astri exortum facito, quod Græci vocant *lyram*, *fidem* nostri. Ovid. 3. Fast:

Illâ nocte aliquis tollens ad sidera vultum

Dicet: ubi est hodie, quæ lyra fulsit heri?

Qui Poëticam Astrologiam scripserunt, volunt hanc lyram esse à Mercurio primùm inventam in Cyllene Arcadiæ monte, & ab eo Appollini donatam; Apollinem autem inventâ Cytharâ Orpheo lyram concessisse; Mortuo autem Orpheo à Musis in cælo fuisse collocatam. Sed quare avem apposuerunt lyræ? an quia asinus non quadrabat?

§. 3.

Quomodo Aquila in Cælum venerit.

Aquila Jovis est armigera eidem fulmina subministrans, quod vulgatissimum. Dedit quoque hæc Jovi augurium sacrificanti in Naxo, antequam contra Titanas in bellum procederet, collectâ magnâ militum Cretensium manu. Unde factum, ut aquila signum militare turmis præferretur, ut ait Natal: Com; Mythol: L. 2. c. 1. hanc etiam aquilam fuisse quidam asserunt, eodem teste, quæ Ganymedem Jovi in cælum attulerit. Quare verò, & quomodo in cælum venerit, dilucidè ex Marõne ostendimus Sect. 3. §. 2. unde versiculi allegati repetendi sunt.

§. 4.

Quomodo Antinous & Telum ad Cælum venerint.

Fuit

Fuit Antinous, quod Pausanias refert, puer Bithynicus tantâ formæ elegantiâ, ut Adrianus Cæsar, qui illum adamabat, templum ei apud Mantineam constituerit, & Urbem quandam Antinoëam à nomine ejus appellârit. Non invenitur in omnibus sphaeris Astronomicis, unde patet, ab ijs solùm, qui ejus formam adorârunt, cælo adscriptum esse. De telo seu Sagitta Homerus L. 4. Iliados, quòd Junonem Hercules Sagittâ petiverit, & dextram ejus mamillam transverberaverit his versibus ex Græco redditus.

*Perpeffa est Juno, cùm filius Amphitryonis
Percussit dextram mammam, petiitque Sagittâ.*

Unde claret, quare Sagitta hæc in via lactea statuatur: nam vetus traditio Poëtarum est, ex lacte Junonis viam lacteam factam esse, cùm repulso infante Hercule lac partim in cælum, partim usque in terram deflueret, ubi etiam ex lilijs antea rubeis candida efficit, quæ eidem Deæ etiamnum ob hanc causam dedicata sunt, ut narrat Mythol: L. 2. c. 4. noster perpetuus Comes Natalis.

SECTIO X. CAPRICORNI.

§. I.

Quomodo Caper in Cælum venerit.



Hic Dux Caper ipse gregis. à parte Boreali adsunt illi Equiculus, Delphinus & Cygnus, de quo in Aquario. Saltavit autem capella in cælum per viam lacteam: lacte enim suo Jovem infantem nutrit, unde beneficij memor alumnus, posteaquam cælorum Regno potitus est, capellam inter sidera collocari mandavit. Præmissimus luculentas
 Authoritates hujus indubitati eventus Sect. 3. §. 2.

§. 2.



§. 2.

Quomodo Equiculus in Cælum venerit.

Hippe Græcè ἵππη Chironis Centauri filia fuit, quæ ob commissam quandam culpam parentis crudissimi indignationem & poenam timens Dijs supplex accidit, idque Deorum miseratione obtinuit, ut in equam converteretur, atque demum in cælum transportaretur. Hunc sensum habet Calep: in voce Hippe.

§. 3.

Quomodo Delphinus in Cælū venerit.

FUÛe hujus historiam prosequitur historicus noster Fastorum 2. ubi describit, quomodo Arionē Citharistam præstantissimum periculo emerit: cùm enim nautæ Arionem scirent secum divitias vehere acquisitas propter musicæ peritiam, voluerunt eum interficere, quod intelligens petijt, liceret sibi adhuc semel ludere citharâ ante mortem, indulserè illi:

Ille metu pavidus, mortem non deprecor, inquit,

Sed liceat sumptâ pauca referre lyrâ.

Dant veniam, ridèntque moram: capit ille Coronam

Qua posset crines, Phœbe, decere tuos.

Induerat Tyrio distinctam murice pallam,

Reddidit iÛta suos pollice chorda sonos.

Flebilibus numeris, veluti canentia durâ

Trajectus pennâ tempora cantat olor.

Protinus in medias ornatus desilit undas

Spargitur impulsâ cœrula puppis aquâ.

Inde (fide majus) tergo Delphina recurvo

Se memorant oneri supposuisse novo.



*Ille sedet, Citharâmq; tenet, pretiûmq; vehendî
 Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.
 Dîj pia facta vident: astris Delphina recepit
 Juppiter, & stellas jussit habere novem.*

§. 4.

Quomodo Cygnus in Cælum venerit.

Diximus Sect. 3. §. 1. ex duobus ovis à Jove in Cygni speciem transformato productos esse Castorem, Pollucem, Helenam; & Clytemnestram, fratres & sorores; ad cujus rei (inquit Natal: Com: Mythol: L. 2. c. 1.) memoriâ dicitur cygnus inter astra collocatus.

SECTIONO XI.
 AQUARIÏ.

§. 1.

Quomodo Aquarius in Cælum venerit.

Aquarius hoc in Segmento primus occurrit, cujus effusam aquam piscis anhelat, Notius, seu Australis dictus; Notus enim ex Græco Austrum sonat, diciturque Notus ab humoribus ἀπὸ τῆς νοτίδος, quòd plerumque pluvias secum advehat; aut certè aliàs humidiorẽ auræ temperiẽ creet. Ad Septemtrionẽ hæret cælo infixus Pegasus, famosus ille Musarum pincerna, non malè idcirco cum Aquario conjunctus. Est verò Aquarius iste non alius, quàm puer Ganymedes Trois filius, quem Jupiter aquilam indutus cælo intulit, ut Janonis Hebe, quæ priùs miscendo nectari præerat, abactâ, hunc à caliculis haberet. Res notissima est à multifaria plurimorum descriptione; & Virgilius L. 1. Æneidos attingit, cum



inter causas odij Junónis in *Trojanos* recenlet rapti Ganymedis honores. Hyginus porro in *Astronomia Poëtica* tradit Ganymedem inter sidera translatum conficere signum illud, quod *Aquarium* vocamus; quod etiam alij sentiunt apud *Comit: Natal: L. 9 c. 13.* ubi advertendum, piscem simul tunc, cum Ganymedes *Aquarius* cum amphora & aqua inde in fluvium effusa statueretur, additum fuisse: hæc enim omnia inter se se connexa, atque unum sunt.

§. 2.

Quomodo Pegasus in Cælum venerit.

Hic est decantatus ille equus, unus Vatum omnium caballus, quem solum si habeant, etiam si à Poëmatibus suis per centena & amplius miliaria Enthei turbine arrepti & abrepti rectum, *verùmq;* callem per avia & devia emeriantur, tamen quia is fulminis ocyor alis, velut in momento omnes domi habebunt; ut mihi non immeritò illud hisce nandinis passim venale verbum, quod pro mendacio speciosè accipitur, scilicet *equivocare* videatur suam ab hoc equo non minùs, quàm Hippocrene originem ducere, sonarèque, cum quis dicitur plùs justo *equivocare*, Poëticum hunc alatúmque *equum vocare* in suppetias, quò se, si alià nequeat viâ, per inane vectum in puncto veritati tenacissimè insistere, & bellissimè subsistere ostendat. Exiit hic ex capite Medusæ Gorgonidis; qui, dum ad montem Heliconam evolâset, ferijt ungulâ subjectam rupem, & excussit limpidissimum fontem, Musarum deliciam. Deprehensus dein, cum ex Pirene Corinthio fonte biberet, à Bellerophonte, qui id temporis expeditionem in Chimeram parabat, captus est, ut ait Strabo L. 8. posthæc rerum terrestrium tædio ductus, in cælum dicitur evolâsse, quod legitur apud Calepinum in voce Pegasus.



SECTIO XII. PISCIMUM.

§. I.

Quomodo Pisces in Cælum venerint.

S At copiosam, variamque hactenus ferinam appolimus; an ad gustum, quis dicet? lucium interroget lupus. Sanè lautiora Superùm symposia sequuntur jam mensæ Penatium; vix enim ijs convivium solemnius, ubi epulis saliaribus cornutarum volucrum pisces non admisceantur. Nempe quia sales sequitur hauustus, etiam pisces eò adnatant, ubi multum advertunt liquoris. Te Notum testor piscem, loquere! qui captas effluvium Ganymedis, Jovialis mensæ ministri. Sunt aries, taurus, &c. ubi amphoram sequitur piscis. Ergo pisces & nos apponamus, & ijs fercula concludamus. Domesticus noster Fastorum 2. sanè ad Sakivam illos sic proponit.

*Jam levis obliquâ subsedit Aquarius urnâ,
Proximus athereos excipe piscis equos.
Te memorant fratremque tuum (nam juncta micatis
Signa) duos tergo sustinuisse Deos.
Terribilem quondam fugiens Typhona Dione
Tunc cum pro celo Juppiter arma tulit.
Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo
Inq, Palestine margine sedit aqua.
Populus, & canna riparum summa tegebat
Spemque dabant salices hos quoque posse regi.
Dum latet, insonuit nemus; illa timore
Pallet, & hostiles credit adesse manus.
Utiq, sinu tenuit natum, succurrite Nympha
Et Dijs auxilium ferte duobus! ait.*



*Nec mora profuit; pisces subière gemelli
Pro quo quæ cernis sidera nomen habent.*

§. 2.

Quomodo Draco & Cete ad Cælum
venerint.

HActenus studiosè præterijmus Draconem, qui flexus circa Septentrionalem polum totam sphæram ambit, eò quòd non unius, sed omnium Segmentorum sit. Draco est Serpens annosus, qui multà ætate in insolitam magnitudinem excrevit; ità dictus ἀπὸ τῆς δέξεως, quòd hoc animal acutissimi visus esse credatur, unde etiam à Poëtis thesaurorum custodijis fingitur præesse. Hæc Calepinus in voce Draco. Eadem apud Liliū Gyraldum Syntag. 7. Talis est de quo agimus; is nimirum, qui poma Hesperidum aurea custodivit, ab Hercule occisus, & in perpetuum monumentum astris illatus. Sic Cete cum Perseo & Andromeda, de quibus Sect. 1. §. 2. Cætera, quæ hîc in allatis testimonijis velut prætermissa, aut minùs efficaciter in cælum eo, quo diximus, pacto translata fuisset, cuiuspiam fortè scrupulosiori videntur, ut sunt Centaurus cum lupo, Australis corona &c. translata tamen fuisset, & vel invitis Musis transferri debuisset, posthæc manifestè videbit; interea anxietati ejusmodi ut opportunè consulam, & certum testem adducam, do considerandam Sententiam Plinij Authoris omni exceptione majoris, cui tutò acquiescas, qui ità L. 8. *nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.*

EPILOGUS ad LECTOREM.



Nam Cælum Poëticum inspeximus; inspeximus? imò per-
lustravimus, omniâque visu digniora vidimus: nam
nobis omissa, vel non in omnibus spheris ponuntur, ut co-
ma Berenices, Pavo &c. vel sine alia effigie solis stellis af-
fixo nomine indicantur, ut Plejades Hyades &c. neque
enim singulis minutijis inharere aut libnet, aut læcuit.

Quid

Quid vidimus? multa, varia, pulchra, haec, illa, &c. Sed si queratur: quare haec in Calo spectabilia proposituere Poeta, & non alia? quare haec, atque ita? hoc ordine? hoc situ? queratur possibilene est, ut tanta tamque dispar rerum, fabellarumque congeries ad unum quempiam certum finem, ad eruditionem unam directa sint: ut entia isthaec ficta convenient in vero, in uno? queratur; & ego vicissim ex querente quero: possibilene est, ut eruditissimi viri, quales Veteres rerum huiusmodi inventores, tot, tamque varia astris imponerent, & imponerent sine certo, sine uno, sine ullo fine? Pyramidibus, Colossis, Obeliscis (lege Oedipum Athanasij Kircheri) vilissimis sepulchrorum lapidibus, privatorumque a fronte edibus mira legimus incisa, stupemus, & nemo unus eruditus asserere audet, vel apicem sua carere significatione; & calum his characteribus calatum, formis tam varijs, tanta & ingenij sagacitate, & industria conatu perfectis, totum quantum exculpium, tot fabulis illustratum, & scriptis tot, ut sine quot, omni posteritati transmissum vanè, futiliter, aniliter, temerè, absque lege, ordine, sine dicamus? Calum aspice! Pegasus ridet ad hanc questionem: ungula fontem excutit, ut liqueat equum in ungula magis Musas sapere, quam eum in capite hominem, qui foramina qualibet uno eodemque epistomio occludi posse ratus, acutum scilicet illud suum, sed ligneum, in omnibus obrudit dicendo: picta sunt, ficta sunt, non habent rationem. Certè turbinato Tytiri coronandus pileo, qui Arietem & Capram non aliò, quam in pascua agi posse arbitrat. Quae haectenus visa sunt, uni oculo visa sunt; Ast utroque, si Poeta es, mecum utere, veni, vide!




PARS



PARS SECUNDA.
 INTERPRETATIO
 SPHÆRÆ POETICÆ.
 in duodecim Segmēta dispartitæ.

PRÆMONITIO
 AD LECTOREM.

 Aggredior opus Herculeum, Herculis labores, multos numero, magnos difficultate, periculosis junctim alea; aggredior tamen. Sed & methodo Herculeâ, prius Serpentem, quàm annosa, seu Draconem, seu Hydram monstra suffocaturus. Quare, ut & operis moli, aggeratæq; rerum multitudini, cum primis verò legentium desiderio prospiciam, præmittam hâc secundâ parte fabularum expositiones, eâ Sectionum paragraphorumque serie, quâ fabulas ipsas præmismus. Parte tertiâ rationem curioso disquisitori,

satis-



satisfactionemque daturus. Immixta enim creberrima in continuam interpretationis serie proba & citationes, ut tediousè longam, ita infructuosè obscuram efficiunt. Videbit proin hic spectator scenam nos aperire, quae à nullo hactenus aperta est, & sic esse nostram. Videbit rursus parte ultimam allatis testimonijs, eandem multo antè per plurimos, eosque probatissimos, sed singulatim & veluti per tenuem rimam fuisse inspectam, & quod eadem quae ego plenè reducto sipario palam omnibus facio, intus lateant, tantum non indice demonstratam, articulis enumeratam. Et sic nunquam minus esse meam, quam quando meam; hoc enim ipso mea, id est verè à me ostensa dicenda est, quod Authoribus hisce ipsissima dudum antè praevisa, praemonstrata, sed in enigmate, sub cortina; nulli omnium omnis, sed partim singulis deprehensa. Ades oculata curiositas! fave obtutum benignè, & ubi ex obscuro veritatem illucere videris, annue gratiosè.

SECTIO I.

A R I E T I S.

Diximus prioris Sectionis §. 2. Dracones propter praestantissimum, quo pollent, visum fingi thesauris custodes advigilare; talis ille, qui vellus aureum, talis, qui poma Hesperidum custodivit. Poëta, vellus aureum petimus, Phryxeum arietem; poma Hesperidum anhelamus. Draco immanis perspicacissimusque objacet, exime seu clavam seu clavim habeas; hic opprimendus primus; cetera sunt



sunt acta omnia, poma carpta; hęc labor, ibi sapor. Præmitto igitur brevissimè expositionem Draconis, qui totum thesaurum, hoc est, ab immemorabili tempore reconditas veterum gazas pretiosissimas, unus recludet, & deliciosè conspiciendas velut ex lumine primo proponet. Unde majores assurgent Heroibus animi ad intimas fabularum tenebras perrumpendas, nihil non inde in lucem ac diem ingenij gloriâ eruditionisq; fructu vendicandi.

Draco igitur (àt præmissum) pulcherrima Hesperidum, ad occidentem pomaria aureis pomis referta custodiens, (recolenda sunt fabella, ut tenebris lux opponatur, atque ex oppositis illis hac, ut oportet, elucescat) est Asterismus lucidissimarum stellarum, longissimâ serie per totum orbem, circa polum Arcticum seu Septentrionalem tortuosè, in modum colubri, flexarum. Hęc jacet ad hortos Hesperidum. Hesperus ex Græco Ἑσπερος, quod significat sequor sumptum est, quod occidentem Solem sequatur vesper, sicut eadem stella manè surgens ante solem dicitur Phosphorus, ex Φωσ & Φέω; lucem fero, quod quasi lucē adferat. Patent nunc Hesperidum Virginum horti, ad occidentem jacentes: est vespertinum calum, tot refertum pomis aureis, quot stellis. Hęc vigilat Draco ille; quomodo? Poëticè, ingeniosè; nimirum quia Draco iste astronomicus circa polum septentrionalem est, & propterea nunquam occidit Zona temperata, in qua & nos, & ij, qui hac olim eruditè commenti sunt Græci, Ægyptj, Chaldaei, ideo dicitur semper his pomis invigilare. Occiditur manè veniente Hercule, id est Oriente Sole, tot clavis, quot radijs; quia tunc asterismus Draconis desinit videri; à quo Hercule similiter poma aurea omnia rapiuntur, quando à solis radijs non ampliùs visibilia occuluntur.

§. I.

Quid Aries significet in cælo Poëtico.

Maxima nostra est hæc: omnis Gentilium Poëtarum Deus, est *solus Sol*, pro diversa operatione sua acceptus. v. g. ut in aura operans est Jupiter; ut in aqua Neptunus; ut in subterraneis Pluto; & sic de alijs. Unde hanc acceperimus, & veram esse ad oculum ostendemus parte tertiâ. Quò positò (revocetur compendio fabella secti: 1. §. 1. de Ariete translato data) dico: Athamas Æoli, Regis ventorum filius: est expiratio seu exhalatio terræ: nam Græcè ἀτμός significat *vaporo, exhalo*: unde atmosphæra globus est ex vapore circa terram. Est *filius Æoli*, Regis ventorum: quia hic vapor fit cum quodam motu per auram leniore; unde non est ventus, *famulus Æoli*. Duxit Nephelen uxorem, id est: *nubem*, nam Græcè νεφέλη nubes. ecce nuptiæ! nam hinc à nebulis nubes. Hæc furore Liberi Patris acta in Sylvas abiit: nebulosa nubes Solis orientis calore pulsa ad Sylvas, ad loca frigida, remotiora, recedit. His actis Athamas novam superinduxit Uxorem Ino, quæ est Aurora: dicitur nutrix Bacchi: quia Aurora Solem apportat adhuc non adultum, qualis est in meridie, sed quasi recens natum manè, sicut nutrix infantem. Eleganter autem dicit Poëta superinductam novam Uxorem, quia repulsis spissioribus nebulis, quod Experientia docet, maximè in Autumno, rariores aliæ in atmosphæra manent, quibus Aurora suum ruborem infundit. Hæc noverca Aurora pellit frigiditas nebulas, Athamantis, id est, vaporis filios; tunc Juno irascitur: aura scilicet concitatur ad ortum Auroræ; quod experimur, ob calorem cum frigore pugnans: semper enim Solis adventum præcedit frigidior aëris commotio. Immittit furias Athamanti, ut putet Leænam esse suam Uxorem, & filios catulos; quia Aurora rufa, & flava ascendit, qui colores sunt leonini; quibus ipsis coloribus nubeculæ, filiolii, leunculi, tinguntur. Allidit Learchum saxo: quia magis appropinquante Sole, nubes, seu nebulæ spissiores pelluntur, & saxis prominentibus illiduntur. Ino hoc videns, etiam se ex monte præcipitat: Aurora enim, mox adveniente Sole, disparet; quasi ex rupe, cui paulò antè imminere visa est, fuisset præcipitata. Quam Dij Deam marinam statuunt, dictam *Leucotheam* id est: *Albam Deam*, Matutam, sive Auroram; ubi ex ipsis vocabulis patet hoc, quod diximus, fuisse ingeniosè à Poëtis involutum. Phryxus verò & Helle sunt duo genera nubium; Helle humidior, unde mollioris sexûs puella fingitur; hæc, quando in ariete aurei velleris tentavit pontum trajicere, id est, quando à Solis radijs fuit suscepta, & inaurata; cecidit in pontum; id est, est soluta in ro-



rem; decidit in aquas. Phryxus est nubes sicca, à Græco *Φρύγας Φρύξας* torreo, inauratur à Sole, hic est Phryxus aries aurei velleris; feliciter mare trajicit; quia est durabilis, & huc, atque illuc vehitur; immolat *Jovi* hunc arietem, id est, Soli. Suspendit aureum vellus in templo; id est, in patulo auræ, sub cælo. Ecce Poësis, quasi blæsa literam *R* non posset pronuntiare, ubi deberet dicere: *verum*, dicit *velum*, tegit.

Q U Æ S T I U N C U L Æ.

I. Quare Aries à Poëtis primus in Zodiaco constitutus est? Respondeo: propter cornua.

II. Quid significant cornua? *R.* Solis radios, unde, quia Sol in Martio incipit propter suum à tropico Capricorni ascensum calentior radijs suis, respectu terræ frigore obstrictæ, fieri; & ut postea robustior iisdem radijs, in Aprili tanquam Taurus eam plenè aperiat, ideo finxerunt Poëtæ Solem in Martio esse in Ariete. Et valde connexè ad alias fabulas suas: nam finxerunt Arietem propter pugnacitatem Marti Sacrum, à quo Mensis Martius dictus est (quòd hoc Mense incipiant belli Duces in campum paulatim prodire) rectè igitur aries totius gregis in Zodiaco contenti Dux Martius electus est. nec verò multùm distat ipsum latinum nomen *aries* à Martis Græco *ἄρης*, ut & hinc convenientiam facti meritò arbitreris.

III. Quare autem sic situatus est, ut unum cornu in Februario habeat, reliquum totus sit in Martio? *R.* ideo: quia jam ad finem Februarij incipit radijs suis Sol victor evadere respectu constrictæ terræ, sed tantùm initialiter; crescit autem magis & magis, unde desinit Arietis pars posterior in posteriorem Tauri; quæ, quòd magis ad cuspides cornuum accedit, eò semper majus radorum in robore ad aperiendam terram significat incrementum. Et hæc est substantia, quæ semper in signis duodecim Zodiaci depingitur; id est, vis Solis respectu terræ; deinde ea, quæ sunt ad latus cujuslibet signi, depingunt ingeniosis umbris effectus ipsos, qui ad talem vim Solis in hoc signo existentis solent evenire, ut mox patebit.

§. 2.

Quid Perseus, Andromeda, Cepheus,
Calliopea significant in cælo Poëtico.

Dico: Perseus est calidior ventus (recolatur fabella narrata Sect; 1. §. 2. partis primæ) quod significatur ingeniosè per *talaria* Mercurij, quibus volâsse dicitur; & per *ensem à Vulcano* acceptum, per quem intelligitur calor: est enim Vulcanus Deus ignis. Duæ Sorores Gorgonides dictæ, quæ unum tantum habebant oculum, & gelido sub Atlante, ut describit Ovidius, habitabant, sunt *Nox & Dies*; unus oculus est *Sol*. Harum una formosa, & aureis crinibus ornata, cui nomen Medusæ, est *Dies*; aurei crines, sunt diurni Solis radij, quibus comitur. Hanc amat Neptunus, id est, omnes aquæ, & qui negotiantur in aquis: nam Solis radij conservant aquis suum fluxum, quem frigus tollit. fingitur jam ad fucum faciendum maledictio Minervæ (nam hoc est perpetuum Poëtis, ut faminas committant in contentiones, ubi volunt pugnas describere) quæ ei crines in hydros mutârit, & indiderit, ut quicquid ipsa aspiceret, id illico lapidesceret; ideo, ut significaretur *Dies hybernâ*, in qua Solis radij nihil possunt, sed pendent stirix ex tectis hinc ipsò, quòd de die Solis radij nives solverint, & propterea tecta humectârint; & quòd tali tempore hominum capilli quasi angues ex capite dependeant. Hæc igitur est maledictio, cujus vi, quicquid à Medusa visum est, in lapidem conversum est; nam hyberno frigore omnia in glaciem convertuntur, quæ humore ex diurno Solis calore immaduère. Grandis itaque fit strages inter homines & pecora; ubique saxea simulacra. Perseus ex aureo imbore de cœlis lapsus genitus, *talaribus* & prædicto ense instructus huc volat; id est, Sol in Martio efficit aureis suis radijs *ventum & auram tepidiorem*; volat iste & absecat caput Medusæ; id est, tollit frigus, tollit stirias capitum; & ecce refectio capite Medusæ, mox exilit *Pegasus* (ut nomen habet) *fontis* Author; id est, ad talis ventuli calidioris, Martialis, adventum, sublato gelu, resolvuntur fontes, qui iterum exiliunt antea constricti. Et *Chrysaor* frater ejus, id est, ut vides ex voce, *aurea aura*, pulchrum tempus. Quiescamus tantisper; grandem hinc ictum fecimus, caput Medusæ amputando, cum Perseo. Nodus Gordius dissectus est; deinceps cætera omnia faciliùs solventur; atque in primis Andromeda de scopulo marino. Cepheus, Pater Andromedæ est mons, seu loca montana. Rex fingitur, ut passim montes; sic Regem Atlantem ajunt in montem versum &c. Cassiopea Mater est locus submissior, planities; hinc sedens fingitur, & pingitur in siliquaastro, ut Calepinus habet in voce Cassiope; est autem siliquastrum herba, de qua Plinius lib; 19. c. 12. inde etiam herbam in manu habet. Dicitur propter formam suam certasse cum Nymphis; quia planities, valles, submissiora denique loca, propter



confluentem humorem, & intercurrentes rivulos, sunt formosiora, herbisq; virentibus vegetiora. Nymphæ, id est lymphæ, aquæ, indignatæ rapuerunt ei pulcherrimam filiam Andromedam, hæc est arbor frugifera omnis, seu pomaria, quæ in vallibus & planitie habentur; alligârunt eam scopulo marino, id est, humor fecit, ut arbores frugiferæ congelarentur à frigore. Andromeda igitur saxo alligata est arbor congelata; immiserunt balenam grandem in mare; totam nimirum aquam, seu incurrentem, seu insulam circumdantem, glaciæ concretam. Hæsit Andromeda huic monstro exposita donec Perseus noster, post caput Medusæ resectum, illac redux ad volâset, cum cetera pugnâset, falcato suo ense vulnerâset, & spiculo confecisset; ubi eleganter Ovidius 4. Metamorph: describit quomodo læsa bellua modò se sublimis in auras attollere, modò aquis subdere, huc illucque versare sit visa; quâ vaserrimâ Poësi glaciæ resolutionem describit, & partium resolutarum sùsque dèque iactationes. Belluâ in profundum mersâ solvitur scopulo Andromeda; sinè dubio, resolutâ insularis aquæ glaciæ, non manent arbores (quamvis minori frigore, quod adhuc per noctes in Solis absentia fit, stringantur arbores, quàm aquæ) diu scopulosæ; desponsatur Perseo, vestitur iterum; quia folia recipit, & ornatur in nuptijs gemmis, floribus; fitque hæc desponsatio prima in Martio, cum qua filios habebit in Autumno, id est, fructus. Describit Ovid. l. 5. Metamorph: quomodo Perseus in nuptijs Andromedæ ingentes rixas habuerit, & copiosissimum sanguinem ense suo effuderit; id est, *resolutionem* describit *nivium* ex montibus, unde lacus repleti, fluvij inundati; quod manifestè elucet ex ipsis nominibus, quæ hospitibus affingit, quæ vel lacus, vel fluvios, vel montes significant. Sic Atys illic attextitur, qui ex Limniace, Gangis filia, fuit progenitus: est autem limniace fictum vocabulum ex Græco λίμνη, palus; stagnum, lacunâ, ut habet Lexicon: unde etiam Limniades sunt Deæ stagnorum. Gangem autem fluvium esse liquet non solum Indiæ, sed orbi toti. Ubi verò dein Perseus ense suo nil potuit proficere, ut narrat Poëta, accepit caput Medusæ, & obvertit hostibus, qui in lapides indurèere; id est, montes illi, qui nunquam plenè gelu, nivibus, & glaciæ, solvuntur, sic scilicet in saxa conversi sunt. Quòd autem dixerim Insulam esse, seu locum aquis circumdatum, cui Andromeda insistit, intellige ex *Deltaron*, sive triangulo ejus pedibus subjecto; tum, quòd à potiori hæc tota sphaera Poëtica ab Ægyptijs conficta videatur, quibus proprium semper fuit hiero- & chiroglyphicis & fabulis arcana sua posteritati tradere, à quibus plurima sua habent Græci, de quo testem appello Athanasium Kircherum in omnibus

manibus tomis Oedipi Ægyptiaci ; cùm , quòd ipsa Ægyptus Deltoton sit ; ut quæ sic à Nilo , celeberrimo fluvio , scindatur , ut figuram literæ Ægyptiacæ copticæ , & Græcæ linguæ *Delta* triangulari figurâ referat ; ex qua una specificè & determinatè posita per Synecdochea insula genericè intelligatur . Quod nè temerè asseruisse puter , legantur duo versiculi Emmanuelis Thesauri ex horto lecti Serenissimi Emmanuelis Philiberti à Sabaudia Cariniani Principis , ubi Astronomica Poësis inter areolas figuris proposita & versibus exposita visitur . Ægyptius igitur cum triangulo stellis angularibus illustri effigiatus hæc subscripta refert :

*Æthereum triplici radiatur sidere delta ,
 Insula Nilivæ quod fuit alma plaga .
 Omnibus hoc delta felices influit auras ,
 Omnis ab hac triplici lampade vita calet .
 Astra suum delta , sed habent quoque Tartara dirum
 Delta : Divitias , Dæmona , Delicias .*

Habes hîc quòd & quod *delta* in cælum translatum sit , nimirum *Insula* .

Sed hæc manifestiùs ostendentur part: 3. Sect: 4. S. 6.

Jam nunc ostendit dentes & ridet Balæna , ex qua brevibus Quæstiunculis percontabimur , quid sibi gratiosus ejus risus velit .

QUÆSTIUNCULÆ.

I. Quid facit caput Balænae , & ista extensio oris in segmento Arietis , id est Martij , cum Perseo ?

Respondeo : dictum jam est : grandem fluviorum , lacuum , &c. Glaciem esse hanc Balænam ; quæ glacies , quia in Martio ad adventum suprâ explicati Persei , & dum Andromede liberatur , resolvitur , aperitur ; incredibile est , quàm ingeniosè hâc picturâ Poëtæ indicent hanc resolutionem . Sicut enim in Januarii majores fluvij , & aqua grandior congelari incipiunt , & paulatim major & major glacies evadit , quod per initium seu tenuiorem caudæ partem significatur : ità in eadem Balæna , quæ deinceps incretascendo vastissimo corpore segmentum Februarij occupat , ubi plerumque majorum aquarum maxima glacies est , lenta crassissimi corporis in subtilius caput definitio , quæ in Martium sensim incidit : & rictus in initio modicè tantum patefcens , deinceps verò , quò magis in Martium porrigitur , magis ac magis apertus ,
 signi-



significat successivè majorem & majorem resolutionem glaciei, vi urgente Martialis Perfei, donec penitus Balæna hæc expiret in calentes auras, glacies scilicet omnis pereat.

II. Quid caput Medusæ à tergo Perfei?

Respondeo: Prima Martialis resolutio sic se habet, ut quod de die calore Solis resolvitur, subsequente nocte, dum Perseus, Sol, tergo obvertit, iterum constringatur; & sic Perseus ostendit caput Medusæ quod facit lapidescere; quia tunc adhuc superante frigore, & ventis asperioribus, resoluta iterum glaciuntur. Unde caput hoc est tantum in segmento Martij; in Aprili pes unicus, & dexter, qui robustior; ut desinat, ubi caput Tauri jam correspondet, ejus significationem cum progressu similiter exhibiturum.

III. Quid corpus dimidium Andromedæ, plus Cephei Patris, plurimum Matris Cassiopeæ?

Respondeo: Quia res eadem diversimodè se habentes significandæ erant, scilicet congelatæ & resolutæ, ideo in duo segmenta omnes quoque erant dividendæ. Pedes autem Andromedæ in segmento Martij sunt, quòd expansa brachia, significant brachia arboris, & pedes, ejusdem arboris radices, ut illico videbimus; sitque prima arboris interna (quod notandum) resolutio vica loris terram arietantis ad aperturam, seu ad florem & fructum, in radice: (de hac enim interna resolutione intelligendus sum hinc: nam sæpius fit de foris etiam in summa hyeme frondium resolutio à glacie, manentibus tamen intrinsecè arboribus strictis & exuccis) in radice inquam: quia cum arbores vegetentur ex dispensatione radicum, succum paulatim fursum promittentium, qui dein erumpit in gemmas, folia & flores, rectè pedes segmento insistent Arietis. Idem est de Cassiopea, quæ summissiora terræ significat; hæc enim loca primò omnium, & quidem similiter ex imo, resolvuntur, si Perseo nostro pateant (nam si nimix valles sint, à quibus obstantes montes Solis accessum arceant, non sunt hujus loci) tum quòd in submisso reflexi Solis radij cum directis conjuncti fortiores sint; tum quòd in editioribus, ac præsertim initiali adhuc veris tempore, frigidiores venti accessum habeant, qui Perfei spiculis ac ensi clypeum opponunt, quòd minùs efficaciter operetur. Idem est de Cepheo, per quem altissima juga montium intelliguntur; unde caput retinet grandi mitrâ (puta nivibus) in segmento gelido contactum. Media autem pars horum altissimorum montium, ob radios ex reflexione à terra fortiores, resolvi quoque incipit usque ad infimos pedes, qui per variam intorsionem usque



que in segmentum Aprilis protenduntur; ubi habes, quod paulò antè attingi; nimirum inter montium anfractus, & imas valles perdurare diutiùs nives, & glaciem, propter rationes itidem superiùs memoratas.

§. 3.

Quid Eridanus significet in coelo Poëtico.

DIu hæsimus inter valles & montes; quid mirum? arduum iter, difficilis progressus, sat tamen citò, si sat bene; non sunt hisce resolutionis vernæ temporibus itinerantibus viæ accommodæ, lutosæ plerumque & idcirco lubricæ; si lapsi alicubi sumus, meremur veniam, donec ad solidiorem tramitem pertingamus. Scilicet: omne initium grave; Ariete solidior Taurus erit. Interea, si quam in hoc segmento maculam contraximus, in eisdem segmento Eridano eandem pariter eluamus.

Eridanus fluvius in hoc segmento totus, ità, ut tantùm initium in segmento Februarij, & finem in segmento Aprilis habeat, nihil significat aliud, nisi nivium defluxum, plenamque fluviorum resolutionem & inundationem; quæ nivium resolutio uti cum incipiente Ariete incipit, ità aquarum (ex hac causa) incrementum cum finiente Tauro finit: nam iterum ad altissima montium juga hęc calamò non pertiango: scio enim & ipsum Eridanum, vulgo Padum dictum, primò ad ortum canis maximè augeri. quæ ipsa ratio est, quòd hic determinatè fluvius, propter celebres suas ex nivium defluxu inundationes, pro omni universim inundatione simili, quæ in Martio solet contingere, Poëtis acceptus sit; præsertim cum nulli amnium claritate (ut scribit Plinius l. 3. c. 17.) cedat, & suo, nescio quo, fumum redolente vapore fabulæ de Phaëthontis busto terminandæ admodum faveat. Unde Apollonius Lib: 4. Argonauticorum:

*Ultima ad Eridani Minya venère fluenta
Pectus quò ardenti percussus fulminis igne
Semjustus cecidit Phaëthon, currumque paternum
Liquit in aërijs campis; ibi nunc quoque fluctus
Vulnus olent ustum graviter, fumòsque vaporant.*

Hęc



Hæc autem ipsa fabula Phaëthontis, prius Eridanus dicti, significat de-
 mum inundationes, ut disertè affirmat Natalis Comes Mythol: l. 6. c. 1. ità
 inquires: Nihil fuit igitur Phaëthontis fabula, nisi ob nonnullarum erran-
 tium stellarum congressum siccitas eximia; qui dicitur ad ripas fluminis de-
 cidisse: quia inundationes hanc siccitatem plerumque consequi solent. toti-
 dem ille citatò locò. Accedit, quòd ipsissima hæc Eridani constellatio illu-
 striorum siderum flexu fluxum assimilans in suo exortu copiam imbrium, &
 quod consequitur, fluviorum incrementum afferat, quod paulò antè citatus:
 ut Orionis (inquit) sic Eridani exortu magna vis imbrium sæpius concitatur;
 quare in Aratæ versibus illum magnas habere vires inquit Cicero, cùm ità
 vertit:

*Hæc etiam Eridanum cernes in parte locatum
 Cæli, funestum magnis cum viribus annem.*

Optimè autem idem augmentum aquarum significat continuata fabula de
 Heliadum, quæ sorores fuerunt Phaëthontis, fletu; sunt hæc in populos dein
 conversæ, ut ait Virgil: 6. Eclog: vel, ut idem 10. Æneidos, in alnos; hic fle-
 tus sororum in arbores conversarum dicit irrigationem arborum, & primò ex-
 crescentium, &, quæ emortuæ fuerant, revirescentium; quod & nos paulò
 post sine lacrymis proferemus.

SECTIO II.

§. I.

Quid Taurus significet in cœlo Poëtico.



Hic Taurus est, quò Jupiter Evropam rapuit: Jupiter
 enim in Tauro, est Sol in Aprili; scilicet terram, quam
 cornua Arietis incurva, & idcirco ad aperiendum quid
 minùs idonea, id est, debiliores Solis radij, disposuerunt
 pro apertura in Martio, hanc Sol in Aprili robustior ape-
 rit; hinc mensi nomen. Unde Virgilius 1. Georg:



*Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus*

Prorsus sic ille Taurus Metamor: 2.

Describitur, in quo Jupiter Evropam rapuit:

Quippe color nivis est

Cornua parva quidem, sed quæ contendere posses

Facta manu, puraque magis pellucida gemmâ.

Ut manifestè pateat, Jovem in Tauro Evropæ, esse Solem in Aprili lucidissimo auræ candore & radijs solaribus aureè cornuto. Evropa est terra; nam E^o Græcorum significat bene vel facilè *εὐροπῶς* versio *εὐρησιον* frutetum, *εὐρη* impetus, inclinatio, exitus, impulsus, quæ, quodcunque elegeris in dicti nominis compositum, dicent: Jupiter rapuit Evropam; Sol aperuit, vertit terram pro fruticibus, herbis, floribus.

§. 2.

Quid Erichthonius significet in cœlo Poëtico.

UT ex suprâ dictis, & jam clarè priore Sectione ostensis patet, Substantia est in signis duodecim; seu vis operativa Solis significata universaliter, quam exerit in terram. Deinde quasi in specie ejusdem operationes explicantur in figuris à latere positis. Sic hîc Taurus significat aperturam terræ in Aprili; quam mox sequitur graminum, herbarumque omnigenarum exortus; & hæc gramina & herbæ pascuis pecorum necessaria significantur per picturam, & suprâ recensitam fabulam Erichthonij. Est filius Vulcani, id est, solaris caloris; natus ex terra sparsis seminibus, claret res; sunt ei angues pro pedibus in fabula, licet non hîc in pictura, id est, stant herbæ & gramina in radicibus sub terra in modum serpentium serpentibus; hinc curruum inventor; vehuntur enim gramina. Nónne nunc patet, quare capella insistat ejus humeris? (quod non habetur in fabula) videtur illi velle capillos devorare. Nónne ad oculum apparet connexio fræni equini cum capreolis, quæ sinè hac luce hæsit in tenebris? nimirum apertâ in Aprili terrâ per radios solares, prodeunt gramina, habentur omnis generis prima pascua, ad quæ pecora aguntur; unde illi nomen Agitator. Herbam tenemus; quid igitur cataphræsum Oriona pertimescamus? aggrediamur!



§. 3.

Quid Orion significet in cœlo Poëtico.

Sicut per Erichthonium ostendimus significari exortum omnis generaliter herbæ, quod germen est tenerius, ita per Orionem intelligitur omnis arbor silvestris; silvestris inquam: nam sicut per Andromedam Virginem nuptui datam pomifera arbor, sic hic per juvenem celibem semper, & sine matre natum, significantur silvæ steriles. Cataphractura ejus, sunt folia ejus; sic vestiri incipit in Aprili ad Majum vergente; ut contra Andromeda in gelido Febuario rectè nuda depingitur. Eadem illi quæ Andromedæ brachiorum extensio; eadem extensionis ratio; brachia habet; sunt enim brachia similia gigantibus, Terræ filijs, quos Ovidius L. 5. Fastrorum describit sequentibus:

Terra feros partus, immania monstra, gigantes

Edidit, ausuros in Jovis ire domum.

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues

Atque ait: in magnos arma movete Deos.

Quæ enim Jovis domus nisi aër, in quem se attollunt arbores? angues pedum, sunt arborum radices; centum brachia contra Jovem extensa, brachia & rami arborum; in quos Jupiter fulminat, quoties in arbores (quod solet ereberrimè) fulmina vibrat. integros autem montes hi gigantes contra cœlum sursum jaciunt, quando è silvis nebularum & nubium montes se se sursum attollunt. talis est gigas Orion. Natus est ex confusa in bovinam pellem aqua Jovis, Neptuni, & Mercurij; ubi significatur adjumentum silvestrium arborum. Primò humor, quod est Neptuni; secundò aura benigna, id est, non nimis seu corrupta, seu rigida; quod est Jovis; tertio quædam exagitatio arborum moderata à ventulis, ut solideatur in radicibus arbores, mox à teneris; quod est pennati Mercurij; simus seu terræ pinguedo, pelle bovinâ includitur; quibus junctim adminiculis silvæ suum accipiunt incrementum. Est igitur individuus Dianæ comes; hæc enim est silvarum & venationum Præses; sternit omnes feras etiam ferocissimas, tam præstans venator est; sub silvarum enim arboribus fera stabulantur. Capis jam leporem viro armato substratum? ingeniosissimè autem Poëtæ finxerunt illum à Scorpione interfectum, quia in sphæra astronomica oriente Scorpione, occumbit Orion,



occidit. Præterea in Mense Oâobri, qui Scorpionis est, arbores rursus folijs, & quasi vita spoliantur. Quomodo sapit hæc ferina Orionis, caprinæ Erichthonij & bubulæ Tauri composita, apposita? credo non esse sinè Sale Poërico; sanè mihi, nisi vitiosè sim palatò, lepusculus hic, capella hæc, bubula hæc delibata mensa Poëtica eligeretur præ opiparis quibuslibet Cleopatrar Antonisque cœnis. Sed hæc salem; ad mella properamus. Silvas hæcenus & campos oberravimus, in hortos nunc paulisper amœniore Maji tempore expatiemur, institutis pro more ad alleviandum itineris tædium quæstiunculis.

QUÆSTIUNCULÆ.

Prima: quare Lepusculus sub pedibus Orionis, cùm aliàs per pedes radices arborum & plantarum intelligantur?

R. per Orionem debuisse exprimi non solum arbores, sed arbores potissimum silvestres, Dianæ nemora, fruteta, quæ, cùm omnia insonsa, incultaque sint, ab ipsa terra, pedes ad inferiora ramenta designanda assumpti sunt, atque idcirco in fabella de serpentinis pedibus nihil habetur; pedibus igitur subest lepusculus, id est summissioribus fruticum integumentis; quod ij optimè exprimunt, qui lepusculum intra pedes Orionis statuunt.

Secunda: cur ergo Erichthonio anguinei pedes (ut fabula habet) non sunt appicti?

R. Si Pictores, aut ij, qui pingi curant, fabulam novissent, certè Erichthonius tales serpentinis pedes habuisset:

Sciendum enim, quòd sphaera hæc passim depingatur in usus Astronomicos, non Poëticos; ubi, quia fabulæ nihil ad culinam inferunt, negliguntur, tanquam insipidæ. Adverte sis igitur, non pro arbitratu meo hanc sphaeram, & in sphaera imaginum seriem sculptam esse, quod officere posset interpretationi, quasi pro libitu ad ei fucum faciendum quidlibet colorarim; sed me longè antè existentium, & ab omnibus receptorum rerum sensum exponere, quod veritati tantò magis debet suffragari. Variata igitur videbis in quibusdam minutioribus diversa, ex illa, quam nunc attingi, ratione; quia Astronomi stellis solummodò infixi, nil pensi habent, nuda sit Andromeda, an vestita; scutatus Orion, an fasciatus; ursa hianti sit ore, an contrà; modò aliqualis figuræ maneat facies, quæ stellas appertinentes comprehendat. Quod tamen Poëtis, sphaeram eandem jure æquo usurpantibus, admodum accidit



præjudiciosè. quanquam in substantia fere utrisque maneat immobilitas, cum leviora solum ex Poëticæ eruditionis ignorantia varientur.

Tertia: quid cauda minoris ursæ in hoc segmento vult?

R. Quære ex Geminis, quorum prior, cum & ipse pedum extremitates huc protenderit, & loqui possit, mox etiam pro ursæ cauda respondebit.

SECTIO III. GEMINORUM.

§. I.

Quid Gemini significant in cœlo
Poëtico.



Mirabile quòd Jupiter (ut dictum) Cygnum ideo ad cœlum posuerit, quia ejus specie assumptâ hos parvulos genuerit, & tamen Cygno tam procul ab his disjuncto, ursam potius isthuc collocârit. Quid causæ? dico: Castor & Pollux, Helena & Clytemnestra pulcherrimæ Jovis proles, sunt flores Majales terræ. Devolavit Jupiter deorsum in terram in Cygno, quando in Majali serenissima, candidissima aura; ex ovis, id est, ex bulbis & cœpis omnigenorum florum; hinc sunt in segmento Maji; hinc pedes habet ad finem Aprilis: quia ad finem Aprilis, jam flores, præsertim humillimæ à pedibus violæ, cornibus Tauri protruduntur. Fingitur ijs fraterculus data immortalitas, sic, ut uno moriente, alter revivisceret; quia uno florum genere cadente, surgit alterum. hinc etiam unus dorsum, alter faciem obvertit aspectanti. Quid putas? non est hæc tam dulcis eruditæ Poëseos esca, ut gustum palatûmq; ad salivam commoveat ursæ jam jam puerulis inhianti?

§. 2.

Quid Ursæ significant in cœlo Poëtico.

Per

PEr ursam pueris geminis inhiantem intelliguntur apes, earumque in flores appetitus: unde (quod supra Sect: 3. §. 2. attulimus, dictæ sunt apes nutrices Jovis fuisse, & rursus: nutrices Jovis in ursas mutatas fuisse; & fuisse duarum Jovis nutricum nomina Melissa, & Amalthea, quæ erant Melissei filia. Melissa autem Græcè μέλισσα Latinè apem significat ex Aristot. & Æliano. Melisseus μελισσῆος melleum, quod in omnibus Lexicis reperies. Amalthea autem deducitur à Græco ἀμαλθεῖα, quod significat nutrio; ut in aperto habeas, quæ illæ duæ ursæ fuerint nutrices Jovis; Scilicet Amalthea & Melissa; quia omnibus convenit, Jovem lacte & melle, ambrosiâ, dulcore denique fuisse enutritum. Sanè si ullibi, hîc ingeniosè Solis infantia in infantia Jovis adumbratur; sicut enim initiali vere velut concipitur, ideòque (licèt adhuc in utero) cornibus Arietis Tellurem matrem urgeat ad partum, atque in Aprili apertâ terrâ feliciter in lucem effundatur, intellige metonymicè ex causa effectum, id est, per Solem, causam vegetabilium, intellige herbas, flores, &c. ità in Majo tenerrimus, planèque Jovialis parvulus deliciosè enutritur melle & lacte, melleis & lacteis florum succis, in hortensium atque pictissimarum areolarum pulvillos reclinatus, robustum robustus in Augusto de spica Virginis panem comesturus. Sed hæc Majalibus flosculis. Cæterà hîc, ut alibi, significatur universalis flos terræ Majalis, & succus; in quo, cum apes Jovis benignissimi, hoc est, Majalis auræ filioli dulcissima & maxima habeant pascua, pingitur dicta floribus inhians ursæ; & ejus quidem caput, in quo palatus & gustus. Corpus ejus est *alveare*, in quod mellei succi invehuntur; florumque sensim defectus, per sequentes menses, ut occultè, sic ingeniosè, designatur. Hæc causa, quod minoris ursæ cauda incipiat in fine segmenti Aprilis; quia, ut ex pedibus patet Geminorum primi, ad finem Aprilis primulis florum prodeuntibus, jam dulcia apibus pascua oriuntur. In segmento verò Junij supra corpus majoris inversa, eaque minor ursæ, atque ad finem locata est; quia ad finem Junij jam adulto admodum Sole, terræque æstu exuccâ, flores desiderantur, tametsi sint hortenses quidam, non tamen ampliùs arborum, in quibus copiosissima mellificandi ob lentorem primi Majalis succi substantia; unde, quia in Junio jam flores arborei perierunt, inversa pingitur ursæ minor, quæ minor apum pastus designatur: & deinceps per protensam in tertium segmentum majoris ursæ caudam continuatur. nam & in Julio adhuc, quod depascantur, apes inveniunt; Sed priorum mensium respectu valde parum. Ecce difficultatem melleam! de qua (ut promissimus suprâ) nos cauda ursæ liquidissimè extrahit.



§. 3.

Quid Canicula significet in cœlo Poëtico.

ANtequam quid asseram, juverit attexere, quæ Calepinus habet in voce canis: sunt duo canes in cœlo major scilicet & minor, sed canem dicendo majorem intelligimus: minor enim canis Canicula dicitur, quæ, quia integrum diem in ortu atque occasu canem præcedit, à Græcis *προκύων* vocatur. hæc etiam Antecanis & Sirius dicitur. Cicero:

Antecanem Procyon Grajo qui nomine fertur.

Oritur XVII. Calendas Augusti, & occidit, sed non tota, post dies 40. idque dierum spatium *dies caniculares* appellamus; eò quòd sidus hoc dupli-
cet calorem, quòd dissolvuntur corpora, & evaporantur. dicta canis, quòd
corpora morbo afficiat, & nimio calore mordere, instar canis animalis, videat-
tur. ubi de Canicula mox subjicit: Canicula accipitur & pro signo cœlesti
ἀέρας Columell. L. 10. Quùmque peracto solstitio usque ad ortum Ca-
niculæ, qui fere dies triginta sunt, hinc caniculares *αἰ ἀμφοῖ τ' αἰσίων ἡμέρας*.
hæc ad verbum ex Calepino, Authorum proinde sensu compendiat. quib-
us præmissis, Dico: Canicula seu Procyon in medio corpore suam insignif-
simam stellam ferens, & exertâ linguâ respirans, significat æstum, qui Majo
ad finem decurrente incipit; non ille maximus, sed qui jam sentiri cum qua-
dam molestia incipiat, & vespertinum matutinumque crepusculum propter re-
spirationem eò gratiora efficiat; quò applicanda veniunt, quæ de canis cœle-
stis nomine paulò antè diximus; & rursus repetenda illa superius ex Pexen-
felder in descriptione Caniculæ allata: aderat fortè Icario Canicula, nomine
Mœra, quæ ad Erigonem reversa vestem ejus mordicus arripuit, illamque se-
quentem ad patris cadaver perduxit. Canem hunc mordere (ut vidimus) si-
gnificat: esse calorem; vestes igitur mordicus arripere, est eum æstum signifi-
care, qui urgeat calidiorum vestimentorum depositionem, quæ ad usque Maji
dimidium, quod Canicula stans in medio segmenti determinat, satis tolerabi-
lia sunt propter auram matutinam adhuc aliquantum frigidam, cùm Sol dein-
ceps alto die necdum sit nimum violentus. Est autem stella illi in ventre, quia
intus maximus calor; initialis verò in ore, quod respirando refrigeratur pri-
mum



mum, & ideo respectivè summum; ut ità augmentum caloris sensim incre-
scens denotetur, donec à serpente altioris jam gradûs calore excipiatur, & rur-
sum eadem methodo caloris incrementum continuâ serie depingatur.

§. 4.

Quid Canis Major, seu Sirius?

Hic Canis Major appellatur, & grandia de illo afferuntur; Sirius di-
ctus ἀπὸ τῆ σείρειν, id est *ab hiando*, quod propter æstum canes fa-
ciunt. vel ἀπὸ τῆ σελπίνα, quod est *arescacio*. hæc confirmant su-
periora, quæ de Caniculæ *hiatu* diximus. & vera sunt, & ut ex ipso
nomine, & Authorum tum allatorum, tum afferendorum sensu patet, à Poë-
tis, qui hæc astris imposuere, significata. Sed quare iste canis non hiat exer-
tâ ex ore linguâ sicut parvus? nec in currentis formam situatus est, sicut supe-
rior, quod ipsum calorem notat, cum motus suscitet calorem? & quid navi
quasi secundum posteriora affixus? quid stella, à qua totus denominatur Si-
rius, illi in ore? & cur non in pectore sicut Caniculæ? sic enim & hic canis
potuisset delineari. Audiar, & non judicet, usque dum audiar hac de re to-
tus: quia rem ostensus sum, non uno mox cuique intuitu (ut videretur) vi-
dendam. Canis dico armatæ Argonavi, atque ad longissimum, periculo-
sissimumque iter comparatæ navi affixus ad puppim (revideantur dicta Secti
4. §. 3. partis 1.) significat navalium in prælia expeditionum initia: navis enim
navigationes, canis contentiones marinas indicat, ut patebit. Hinc est, quod
Ovidius suprâ citatus navim hanc his versibus describat:

*Nam rate qua curâ pugnacis facta Minervæ
Per non tentatas prima cucurrit aquas.*

Et ideo, ut hoc significaretur, accepta est huc navis plena bellicosissimo-
rum Heroum, cum Jasone Duce tot pericula subire parato. Canis habet
illam urentem stellam in ore, ut per hanc quàm tacitè, tam dilucidè ostenda-
tur canina irritatio, & sonus intra dentes editus, quem canes ipsi præmittunt
ante pugnas inter se suas, ut sic symbolicè, per initia pugnæ caninæ, provoca-
tionis in altum ad pugnam actualem, & præviæ irritations bellantium homi-
num, maritimo in certamine, designentur. loquor autem hic non de acci-
dentali aliqua minimi momenti, sed de substantiali hostilium classium, ac to-
tius exercitûs conflictu; non de Piraticarum aliqua in Mercatoriam unam al-
teramve



terámve navium illapsa, aut velitatione quavis prælijs decretorijs præmitti solita; de substantiali, inquam, Principum congressu intelligenda est navis hæc tanta, & tam famosa, tot Ducibus & Heroibus & quidem pro aureo vellere, quod honoris punctum est, navigantibus referta. Hujusmodi igitur in bellum maritimum progressus, quoniam jam in Aprili fieri potest, ideo remus usque ad hoc segmentum, Aprilis scilicet, extensus est, cum tamen nulla stellarum hanc remi figuram vel rudissimè efformantium compositio huc usque deduci exigat. Pulchrè hoc innuit Horatius Ode 4, ad Sextium, ubi tempus vernum describens ait:

*Solvitur acris hyems gratà vice veris & Favoni,
Trahuntque siccas machina carinas
Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Neque prata canis albicant pruinis, &c.*

Ubi illud *siccas carinas* Commentator P. Judocus de Mares S. I. ait: idè positum esse, quòd tota hyeme extra aquas quieverint na ves, ad hoc usque tempus vernum, quod hìc Horatius descriptum ibat. Sed ad navis hujus in his segmentis positæ declarationem in rem præsentem plurimum fecerit, quod lego apud eruditissimum Liliu(m) Gyraldu(m) Libro de navigijs cap: 10. in hæc: Illud certè non prætereundum, stata esse navigationis tempora, quæ tum in temporum & anni, tum in aëris dispositionem referuntur, quæ vulgares nautæ & agricolæ etiam nôrunt: siquidem ea habentur circa Autumnale Æquinoctium, & Vernum; ità, ut ab hoc aperiri, ab illo claudi mare dicatur. Citat deinde Pliniu(m) sequentia in eundem sensum asserentem, sic loquens. Plinius verò inquit: Ver aperit navigantibus maria, quæ hyberno tempore hyemabant, & tempestatum sævitià concluduntur. Sic etiam L. Apulejus, ut antè scripsimus, significat, die scilicet qui navigio Isidis sacer est, quando Mense Martio mare ipsum aperitur. ex quibus multum illustrata vides, quæ supra de apertura Balæne & Eridani diximus; & præsertim hæc, quæ modò tractavi; cur nimirum navis in segmenta hæc posita sit, & non in alia anni totius; ità, ut à medio Aprili (eò nimirum extenso remo) usq; ad medium Augustum extendatur; ubi advertis, quòd tanto intervallo cesset, à clausura navigationis annuæ, hoc est à Septembri, quanto incepit ab apertura ejusdem, nimirum à Martio: sicut enim primò post unum circiter mensem post aperturam propriè iachoabilis est, de plena navium quarumvis navigatione loquendo, ità uno circiter mense, antequam prorsus omnibus claudatur cursus marinus, potissima (de qua hìc loquimur) navigatio conquiescit. Intra hæc

igitur



igitur tempora florent negotia rei navalis in mari; quod scitissimè situs Argonavis in horum intermediorum segmenta mensium distributæ edocet. Placet hîc apponere breviter, quæ Hesiodus pluribus versibus in *Ἔργων* scripsit: Post Solstitium æstivum (ait) per quinquaginta dies optima navigatio, quando spirant Etesiæ; & Vernæ, cùm sicus folium jam cœperit cornicis pedi par esse. Hæc de navigatione in communi; bellicarum autem classium pugnaturarum irritationes jam utrinque in Majo per prævios concursus fieri solitæ stellâ Canini oris, calore suo (ut supra ostensum) vellicante tantò illustrius, quantò magis sub umbra, & vicissim tantò tectius, quantò magis in luce stellæ, exprimuntur. Neque verò mihi oggesseris: canem tetigisti; hoc, dicam, volui. Si ultrà laceffiveris in pugnam, testem te quoque unum adducam, rectè canem in bellorum ineundorum symbolum assumi potuisse. Sed Majali adhuc verfamur in segmento; difficultates non calentibus nimium argumentis, sed amicis nos inter quæstiunculis & responsis cum Argonavi è littore solvente, unà solvamus.

QUÆSTIUNCULÆ.

Prima: Quare autem Navis inversa est? & Canis (cùm tibi pugnarum strepat initia) Puppi, non Proræ, contrà, quàm oportuisset, affixus?

R. Primò: Navis sic collocanda erat necessariò, ad initium, seu primum exitum aptè significandum: si enim tanta navis collocata fuisset ità, ut in segmento Aprilis prora inchoâset, quorsum puppis venisset? ad segmentum Decembris, aptum scilicet navalibus prælijs tempus. discessum igitur hîc puppis, non prora, ut mensi debito corresponderet, poterat significare.

Secundò: *Canis* conveniebat signum prælij *Canere* in eodem mense; unde, quantâ ingenij solertiâ hæc duo conjuncta sint, porrò, sed sinè *quare*, admirare.

Secunda: Sed quare tam procul extenditur Navis?

R. nimis procul extendit se hæc quæstio. Contrahe tantisper vela; Canis nos ad ejus initia perduxit; primò inscendimus; adhuc provehimur portu, terræque urbésque recedunt, & fundum jactâ bolide periclitaris? finis dedit initium, media medium, initium navis finem dabit, etiam tuæ quæstioni, nisi advertas paulò antè dictis datum fuisse.



Tertia: Sed quid huc fabulæ de cane Sirio?

R. illa tota est de æstu tempestates ciente, quæ jam aliquale initium fumunt in Majo, attribuitur autem cani, non quòd jam tunc regnet, sed ut minores hi æstus ad maximi æstus causam, tanquam pars ad totum, & accessorium ad principale, referantur. hinc etiam duplex nomen habet, unum ab æstu, alterum à tempestate; nam Sirius, ut vidimus, æstum, siccitatem dicit; Lælaps autem Græcè λαίλαψ significat ex Aristotele de mundo turbine venti, imbrem cum turbine, procellam, nimbium; quæ duo canis nomina junctim dicunt: post tales æstus & exiccationes terræ, oriuntur grandes tempestates terræ, marique, procellæ, turbines, &c. fingitur Procris, uxor Cephalî, soror Orythiæ, hunc canem ab Aurora accepisse, & unum jaculum inevitabile, maritòque suo utrumque dedisse; quò deinde jaculò illa ipsa perijt, ab inscio marito interfecta. Cephalus ex Græco κεφαλή caput, vertex, est Sol, Caput Astrorum; Procris uxor ejus Latine, *præjudicatio*, ex *πρὸ ante*, & *κρίνω judico*; idem quod Prognosticon; sic habent Lexica. Soror ejus Orythia, ex ὄρεθρον mons, terminus, unde *horizon* terminativus circulus deducitur, & θύω Sacrificio, thus adoleo. simul ergo nomen Orythiæ significabit: in monte thurifico. ubi patescit iterum ingenium Poëticum, quàm eleganter has duas sorores connexuerint. *Præjudicatio* scilicet de *futura tempestate* fit, seu sumitur, ex *thurificatione in montibus*; id est, quando manè ad Auroram, Sole oriente à montibus nebulæ ascendunt spissæ, densæque, acsi fumus ascenderet; hæc est thurificatio montis, seu Orythia, soror prænotionis, seu Procridis. Procris autem est terra, quæ nomen accepit. Synecdochicè, sumpto continente pro contento: quia terræ habitatores prognosticant & prævident tempestates & æstus. Hæc Procris, terra, accepit canem Lælapem ab Aurora: quia manè ad ortum Solis in Aurora hæc exhalationes terræ sulphuræ, ex quibus dein tantus æstus, sursum trahuntur. Aurora habet hunc canem, quia manè hoc sidus oriens cum Sole, cum eodem toto die terræ incumbit, & eos æstus dierum, quos *canticulares* dicimus, efficit. Simul *telum* inevitabile dedit Aurora cum hoc cane; adverte gratiam fictionis! id est: simul tunc, cum ascendentibus ascendente Sole sulphurosis terræ exhalationibus, accepit Sol materiam pro *fulminibus*, postea excoquendis; & ideo fingitur Procris, uxor Cephalî, id est terra Soli hæc duo: *canem & telum* dedisse ab Aurora accepta; quia ille tempestuosus æstus nubium & fulmen, sunt ex terræ exhalationibus. Hòc telò Procris à Cephalo in silva occisa est;
hoc

hoc nihil aliud est, quàm, ortà deinceps tempestate, ex nimio prævio æstu, fulmina jacta fuisse in terras, & maximè in silvas, & arbores, quod scimus ordinariè contingere. & sic manifestè patet, cur finxerint, quòd Cephalus semper auram inclamaverit, propter nimium æstum, ut suprà ex Ovidio retulimus. Quantum procurrimus, ut hunc canem deprehenderemus! fortissimus est, qui omnes bestias detinuit: quia nimio æstu staccidæ feræ sternuntur, jacent sub umbris; etiam nos nimium detinuit; ponamus jam nos super cancrum, & ad Solis orbitam regrediamur.

SECTIO IV. C A N C R I.

§. I.

Quid Cancer significet in cœlo Poëtico.



Cancer qui niger, & dein ad ignem coctus ruber est, & *regreditur*, significat Solstitium, seu *Solis regressum*; quòd non amplius ascendat versus Zonam temperatam, sed iterum declinet deorsum, versus æquatorum, in suo cursu. pulchrè autem per cancri ruborem continuatio crescentis æstus significatur in hoc ipso regressu, quo Sol terræ calorem, quam antè ascendendo à frigore obsistente plenè liberavit, & primum calorem & siccitatem immisit, nunc redeundo duplicat; pulchrè autem hic regressus Solis in præmissa fabella occultitur. Hercules pugnans cum Hydra Lernæa est Sol lacunas & minores paludes exiccans; hinc tot capita succrevisse dicuntur, quot demersuit: quia, unâ parvâ exiccata, alia major restabat: innumeræ enim sunt; quæ quidem per imbres, qui hòc ipso causantur, quòd Sol exiccans attrahat vapores in nubes, & nubes rursus diffundat in imbres, quibus iterum implentur lacunæ, quas evacuavit; ità, ut ex sic demersis capitibus defluxisse sanguinem, & iterum nova Hydræ capita ingeniosissimè



mè finxerint, donec titionem ardentem adhibuit, & loca caesa aduffit; id est: donec maximo æstu & diurnâ siccitate omnia omnino stagna, paludes omnes, exuffit, atque ità omnia Hydræ capita sustulit; nam ὕδωρ *hydor* significat Græcè *aqua*. Scilicet similis est hæc Hydra illi Draconi famoso Pythoni, quem Apollo sagittis interfecit (post diluuium tempore Deucalionis) de quo Ovidius Lib: 1. Metamorph: Vide plenissimam parte 3. Sect: 2. §. 1: hujus expositionem.

§. 2.

Quid Hydra significet in cœlo

Pœtico.

Hæc Hydra alia est ab illa Lernæa; significat æstum continuatum & auctum: majoris enim serpens est caloris naturalis, quàm communiter alia animalia terrestria, quod patet ex Ægyptiorum symbolis: ij enim, ut Kircherus tom: 3. Oedipi Syntagmat: 10. Obelisci Florentini Capit: 3. & passim ostendit, vitam, & vitalem quemque superiorum in inferiora influxum per serpentem designabant: vita autem, & vitæ conservatio, maximè in calore exprimitur, quò & generatio animalium & conservatio habetur. ubi advertendum, quàm aptè disposita sint hæc tria, Canicula, Serpens, Leo, ad æstûs hujusmodi incrementum significandum. nam Canis, qui initium significat, quia minimi respectivè caloris est, ponitur primò, & morsus ejus non est tantus, quantus serpentis, qui definit, ubi suprâ, adhuc in segmento Junij, Leo incipit, cujus & calor & morsus maximus.

Sicut igitur, ut hætenus ostendimus, & porrò ostensuri sumus, semper, quæ in Zodiaco sunt picta, indicant vim Solis, & lateralia effectus ejusdem virtutis solaris, qui in terra exinde oriuntur, ità hæc Hydra significat terræ continuatum calorem, vegetabilium vitam ad maturitatem & perfectionem fructus eorum perducentem. Aptè autem hîc serpens hydra nuncupatur; sive per contrarium intelligendo siccitates hujus temporis, quibus serpentes & hujusmodi reptilia maximè generantur: nam contrarium significat nomen hydra, scilicet serpentem aquis innatare solitum; sive per serpentem hunc, qui aquas appetit, significando terræ ariditatem & humoris appetentiam, utrumque enim in idem recidit. Ceterum navis partes mediæ navalium itin-

rum & potissimè præliorum medium, seu optimum fervorem in duobus fermentis: hujus, Junij, & Julij sequentis denotant, quemadmodum à parte Septemtrionali in corpore ursæ, & suprâ, minoris capite, imminutio florum, & partus apum declaratur. Nimis magnus æstus est; properemus ad Craterem! erenam in Hippocrenen intingamus; & Canis & Serpens & Leo hiant & inhiant respirationi, haustulo nos (quod superi faveant) saltèm frigidæ refocillemus.

SECTIO V. LEONIS.

§. I.

Quid Leo significet in coelo Poëtico.



Suprà parte I. Sect: §. §. I. ostendimus Leonem hunc Theumesium vel Theumesium dictum, effetrice Lunâ ex Spuma natum, valde ferocijisse, demum ab Hercule occisum fuisse. His involucris fabulæ occultârunt Poëtæ calores summos Julij. Est igitur Hercules cum Leone pugnans Sol intolerabilis propè à medio Julio, usque iterum circiter ad dimidium Augusti. Habet Leo in cauda primæ magnitudinis pulcherrimam stellam, ideo, quòd (ut Physici de animalibus) cauda generositatis Leoninæ index sit; maxima itaque & postrema vis æstus Canicularium, terris circa dimidium mensis Julij ingruentium, scitissimè hîc animali, & isthîc eius situ figuratur: prior enim ejus pars, cum Leo aperto ore hiet, adeoque attractâ aurâ identidem se se refrigeret, non est tanti ardoris, quanti posterior à pectore inchoando; quod ipsum in Canicula atque Hydra similiter est advertendum; maxima scilicet caloris vis in pectore consistit. Etiam (nulum dubium est) deinceps grandè Sol æstuat; sed non ampliùs tam molestus corporibus, experientiâ teste; quòd ea Canicularium tempore, nisi accidentaliter obductis nubibus, vel crebris imbribus, aut alio hujusmodi præpediatur, in
per-



perpetuum quasi sudorem, eumque lentissimum diffuere cogat, quis igitur non videat, quàm ingeniosè fictum sit: quòd Leo hic ex Spuma per Lunam, cujus est humores ciere, & indignatione Junonis, id est ferventi aura (dum enim indignamur, incalescimus & exardescimus) sit prognatus? portatus à Junonis famula Iride in montem Opheltam pastorem laceraverit? Deorum rusticissimus Pan, Deus videlicet Pastorum, advertit hìc ingenium Poëtarum, & mordet præ complacentia fistulam, ut accinat Pæana Apollini; tunc enim Leo in montibus Pastores dilaniat, quando Sol intolerabili suo æstu eos ità dilacerat, ut, vestibus huc illuc projectis, vix indusium, nec tamen clausum, in ijs remaneat; in vallibus autem satis adhuc ab illo tuti, integrè custodes isti gregum integri custodiantur.

§. 2.

Quid Crater significet in cœlo Poëtico.

Bene attendendum est, quòd Crater ità situatus sit, ut collatus cum cauda Leonis ferè eidem respondeat, & sensim inclinetur in alterum segmentum, quasi ad perfundendum frigidà corvum, qui se ad hoc inclinat, quasi (quod solent) balneaturus. Hoc est ipsum in effectu æstum exprimere, cujus vis in Leone fuit significata. Corvus quippe animal naturà calidissimum, & callidissimum, & idcirco ex utroque Apollini, id est Soli, dicatus est; unde per ejus balneationem, ad quam à medio circiter Julio in Augustum, id est, ab initio Canicularium, inclinat Crater, Corvo autem primò sit, seu aqua affunditur in Augusto, pereleganter hujus temporis solares æstus in terris exprimuntur: nam, tametsi Caniculares se se usque ad dimidium ferè Augusti extendant, etiam intensissimo æstu diurno, quia tamen Sol jam vehementer ad Æquinoctium appropinquat descendendo, breviores notabiliter fiunt dies respectu Julij, consequenter longiores noctes, & longior absentia Solis, & idcirco frigidiusculæ noctes, propter quòd matutino & vespertino tempore crepuscula valde, quasi affusà frigidà, recreantur. & hic ipse ille Corvus est, avis Apollinis, qui in Augusto aquà ex Cratere effusà perfunditur & refrigeratur: nam ideo Apollini, id est Soli, Cygnus & Corvus dedicata sunt ab erudita antiquitate Poëtarum, quòd per *candorem Cygni, diem, per atrorem verò Corvi noctem* occultè indigitaverint, ut Athanasius



nāsius Kircherus in Obelisco Pamphil: afferit. Et nōne hęc æstus descriptio facitissimè involvitur in fabella suprā Sect: 5. §. 2. partis 1. relata? Apollo voluit sacrificare Jovī, non habuit aquam, misit hunc suum servum *Coracem*, ad fontem, & is tam diu juxta ficum sedit, donec ficus maturescerent: Apollo enim, seu *Sol*, non potest multum, his temporibus, Hydrā Lernaâ jam occisâ, id est: exiccatis lacubus, attrahere humoris in aërem, nimis arente ubique terrâ; unde ad fontem, scilicet ad aquas vivas, ex se perennes, quales flu- vij, non quales ex pluvijs stagnantes, misit. Quodd autem Corvus ficus maturitatem expectet, eleganter prorsus indicat, per æstum hunc maturescere & dulcescere fruges, quod in spica Virginis colligemus. dicitur autem Corvus Serpentem tulisse Apollini; quia ex tanto æstu, è lacunarum putri serpentes, & omne genus reptilium nascuntur, qui effectus Solis in terra pro hoc tempore in latere segmenti, uti alibi alij, explicandus erat. Nè (quæso) dixeris hęc potio ex Cratere, quod invitâsti, est *frigida*; sic oportebat, temperat hęc maximè æstum, in quo versamur; calliditatem tamen in Corvo fuisse ostendit. quod si dulcius quid expectabas, mittam te ad Corvum Apollinis, ut *ficus tibi ostendas*.

QUÆSTIUNCULÆ.

Prima: Quid canes venatici Bootis hîc faciunt dimidiati?

R. à fronte debent interrogari; sunt in nimio cursu; si hîc retro interrogas, non bene intelligunt, nec bene intelliguntur.

Secunda: Quare Bootes seu Arcas manum habet ad caudam ursæ?

R. Si hęc cauda esset Lupæ, haberet manum ad caudam Lupæ. vel fortè ipse est ille Sarmata qui in melleam foveam lapsus adventantis ursæ mel lingentis caudam arripuit, & salvus evasit. certè nudus est, & tremendè fugit; omnia deprehensus debet nobis fateri.

SECTIO VI. VIRGINIS.



§. I.

Quid Virgo significet in cœlo Poëtico.



Virgo, Erigone nomine, immediatè sub cauda Leonis vul-
tum habet, æstivaliter induta est, spicam manu præfert.
Dico: per hanc *Virginem*, maturam & pulcherrimam
ætatem, significatur hîc omnis *fructus*. Sicut per *pue-
ros geminos* significabantur omnes *flores*; unde Sol in Vir-
gine, est vis Solis in terra fructus ad maturitatem conco-
quens. Hinc vides, quare frumenti spicam in manu habeat; quia frumen-
tum est nomen generale, & fructus ut maximè necessarius, ita potissimus.
Vides quare æstivè, id est brachijs collòque nuda pingatur; vides quare imme-
diatè caudæ Leonis supponatur: quia ibi incipit maturatio solidarum fru-
gum, & speciatim spicarum, id est, omnis generis frumenti; fit post dimidi-
um Augusti, ubi vides spicam situatam: nam tametsi genus aliquod frumenti,
v. g. siligo, citiùs alicubi maturescat, bene notandum est semper: hanc de-
scriptionem esse totius terræ in Zona temperata, adeoque quid circiter con-
tingat in toto, non in aliquo particulari loco, ex aliqua particulari, vel sitûs, vel
alterius accidentis, ratione aliter se habente; unde nunquam ita scrupulosè ac-
cipi debet, acsi determinatissimum mensis tempus in die aut hora intelligere-
tur, sed circiter, ut verbi causâ: hîc, circa dimidium Augusti, in tota Zona
temperata, fit potissima frugum (omnes æstivas simul accipiendo) maturitas.
ratio manifesta est, ex æstu hæcenus continuato, & nunc valde intenso, circa
medium videlicet Augusti. Vides denique, quàm eleganter veritatem suspen-
derint in fabella de Erigone superius Sect: 6. § 1. recitata: parens enim hujus
Virginis, quem rustici occiderunt, & sepeliverunt, sunt omnes seu nuclei, seu
semina frugum, quæ rustici in terram sepeliunt; & hinc ejus filia (fructus) su-
spendit se, scilicet vel in arbore pomorum, vel culmis segetum, &c. Vides
jam quomodo caniculus procyon eam ad hoc suspendium perduxerit: pro-
pter calorem enim post flores fructus appenduntur; hinc caniculum Gemini
ita junctum vides, ut illos subsequatur.



§. 2.

Quid Arcas seu Bootes significet in cœlo Poëtico.

R Espondeo significat segetes, & spiculum ejus significat spicas. Illius venatici canes quasi prædam anhelantes, significant omnium frugum, sed præsertim segetis ad maturitatem properos accessus. hinc pedes eorum & manus Bootis adhuc in segmento Julij, quia jam tunc productis spicis grana solidantur, & ejus temporis æstu ad maturitatem multa excoquantur. unde Germanis est proverbium: quod dies sanctorum Petri & Pauli, quæ incidit in 29. Junij, frangat jam radices frumentò; fitque perfecta ejus concoctio circa finem Julij, ubi Bootes in segmento manum habet. In fine autem Augusti jam habet spiculum, id est spicam, quasi fractam, ita ad se inclinatam, quia tunc, vel jam succubuere, vel succumbunt actu, mortis falci, quæ in generali nomine frumenti potissimum continentur, quibus nos, ut charitative (cùm quotidiani sint nostri commensales) provideamus in tempore de vespillone, Centaurum ad id obsequij conducemus. Interea explicatam mastica fabellam, quam supra Sect: 6. §. 2. proposuimus: quomodo nimirum Arcas hic frumentum tradiderit populis, & panem facere docuerit.

Q U Æ S T I U N C U L Æ.

Prima: quomodo autem hic Arcas, seu frumentum, à Poëtis filius Ursæ dictus est?

R. Ursæ illa fuit Virgo, Calisto dicta; vidisti autem in hujus Sectionis §. primo, quid Virgo significet. Calisto autem, quæ etiam Callisto scribitur, ut Propertius L. 2. Callisto Arcadios erraverat ursæ per agros: hæc nocturna suo sidere vela regit. Græcè καλλιστώ sonat ex etymo hujus linguæ *pulcherrima*; unde facile Arcadem pulcherrimæ Virginis filium concepisti.

Secunda: urges: sed quid ursæ filium?

R. Audivisti, quod per inhiationem ursæ significatus sit pastus apum; & quam id rectè, advertere potuisti, cùm ursæ hæc Calisto filia sit Lycaonis,



id est Lupi : *λύξ* enim Græcè, Latinè lupum significat. quæ omnia voracitatem seu pastum notant. unde, cum frumentum sit pastus omnium primario, rectè ab urfa dicitur prodijisse. Urfæ enim corpus ut *alveare* apum, sic bellissimè *horreum* hominis pastum colligens & conservans frugitur; uti mox de parente ejus Lycaone à Jove in *lupum* converso videbimus. Cum igitur frumentum, quod dein crescit in segetes & novas spicas, ex horreis, seu granarijs sumatur, aptissimè ex hoc ipsi urfæ comparantur horrea, quæ collecto cibo in æstate, dein in hyeme altum stertunt, sicut Plinius L. 8. c. 36. tradit de urfis, quod hybernorum mensium somno urfæ pinguescant; vides apertè, quomodo hic Arcas noster non tantum ex Virgine pulcherrima, sed ea etiam, quæ in Urfam conversa sit, prodierit in lucem, excreverit in hastatum venatorem, non alijs canibus, quàm *vertagis*, id est contra *lepores* instructum, qui lepusculi potissimum in segetibus stabulantur, & ab hujusmodi canibus capiuntur.

Tertia: Sed quare Navis hîc desinit?

R. quia in Augusto jam potissima navalis itineris opportunitas deficit; asperiores versùs Septembrem ingruunt venti; in patria litora cum mercimonijs reditur; denique cum Sole, victorioso Hercule, terram subeunte etiam maritimi belli Duces ad hyberna sensim sua regrediuntur. relege quæ hîc Sect: 3. § 4. ex Authoribus de navigationis annuæ (à potiori sumptæ) termino diximus.

Quarta: Quid Centaurus?

R. dicam ubi lupum interfecerit, nè iterum ex utriusque intuitu, ut nupèr, obmutescam.

SECTIO SEPTIMA, LIBRÆ.

§. I.

§. I.

Quid Libra significet in cœlo Poëtico.



Ol in Libra significat : Sol facit justitiam , facit terræ æquales , & quasi in bilance libratas dies ac noctes, verbo : Æquinoctium. Virg. L. 1. Georg. *Libra* die somniq; *pares* ubi fecerit horas. Hinc ab Astræa, quæ justitiæ fuit amantissima, in cœlum est hæc bilanx translata, ut vidimus. Sed quomodo huc illud, quod Astræa vocetur etiam Erigone? Dictionarium Græcum consule, mox dicit : *ἔρις* enim significat Deam discordiæ, litem, contentionem, & *γενήσεται*, genituram, prolem. unde totum complexum Erigone significat filiam litis, contentionis. ubi enim disceptationes, lites, controversiæ, ibi libra, ibi justitia opus est. Aptissimè verò his ipsis fruges involutæ sunt, quæ vel maximè ex contentione & lite pugnantium qualitatum enascuntur, & ab Apolline & Neptuno, humido & sicco, frigido & calido invicem concurrentibus, ad maturitatem perfectionemque suam perducuntur.

§. 2.

Quid Hercules significet in cœlo Poëtico.

DUdum diximus Herculem Solem esse, & parte tertiâ demonstrabimus. Sed quare hîc pedem habet tantum, & insuper est inversus? medium hæctenus consecimus æquor; medium iter cum Sole decurrimus; jam velim iterum in initio hujus secundæ medietatis bene attendas.

In Septembri est Æquinoctium; immediatè post hoc Sol magis horizonti nostro submittitur, & manet iterum diutiùs infra, quàm suprà, ità ut quasi invertatur: sicut enim à Martio usque huc semper diutiùs supra horizontem nostrum fuit, quàm infra, ità contrà ex nunc, id est: à Septembri usque rursus ad Martium semper diutiùs morabitur infra horizontem, hoc est, erunt



longiores noctes quàm dies. Unde fit, ut frigidiora ingruant paulatim tempora, Sole magis & magis à nobis recedente, & diutiùs absente; quæ frigidiuscula tempora cum jam ad finem Augusti non nihil sentiantur, præsertim manè & vespere, ideo pedis initium ad finem segmenti Augusti mensis habet. Hæc eadem est ratio, quòd Virgo Astræa, quæ supra nudo collo & ulnis æstivè picta est, pedes penitus in vestem involutos habeat, qui picti sunt in Septembri. Hæc ergo Solis respectu terræ *debilitas*, quemadmodum in ascensu à Martio incipiendo *fortitudo*, magis & magis declarata est, hic magis & magis per inversiones rerum (ut videbimus) & alia signa exponetur.

§. 3.

Quid Centaurus cum Lupo significet in cœlo Poëtico.

Dico Centaurus iste est terra agrestis, seu agrorum; scutum illius representat agros, huic Lupus Lycaon Pater Calistûs seu Ursæ majoris & Arcadis insidet. hoc est horreum seu frugum agrestium reconditorium pro hyeme, quemadmodum supra de Ursâ diximus. Spiculum, quod illi in os infigit Centaurus (vel, ut alibi pingitur, in collum, vel ventrem) est tale, quale Arcadis hasta, id est: *spica*. quo complexo significatur, in Septembri fruges potissimum agrestes in horrea conveyi potissimas, quanquam aliquid alicubi & in Augusto, & in Octobri; unde pars minor & posterior Centauri, cum huc in Septembrem inclinata hasta, & potior lupi pars, etiam in eodem Septembri situata est. Pulchrè respondet hasta superior Arcadis huic inferiori Centauri: superior enim stans & non nihil inflexa maturitatem messis exhibet; inferior jacens, quam Centaurus rusticus in equo sedens intrudit lupo, significat messis ejusdem in horreum invasionem. hinc enim fabula de Centauris orta est. Adscribo formalia ex Comite Natali Mytholog: L. 6. c. 16. Cùm Tauri agrestes in Thessaliam venientes fruges devastarent: tum juvenes fortes equos ascendentes in tauros impetum fecerunt, ac stimulis pupugerunt. Cùm verò eos agrestes procul fuissent conspicati, existimârunt supernâ parte homines, inferiori equos esse; quia nemo equum ante id temporis conscenderat; & quia tauros illos pungentes vidissent, *Centavros* appellasse, quæ, quo pacto tantum abhorreant ab antiqua simplicitate, & credulitate hominum, non video. hæc totidem verbis citatus.

QUÆSTIUNCULÆ.

I. Quid corona & serpens Ophiuchi?

R. Corona pertinet ad serpentem, serpens ad Ophiuchum; perge ad Ophiuchum; is, ubi se ex serpentino nodo solverit, & tibi nodi tui dabit solutionem.

SECTIO VIII. SCORPIONIS.

§. I.

Quid Scorpio significet in cœlo
Poëtico.



Ico Scorpius significat regressum descendendo maximum Solis, prout adhuc in terra ratione frugum excoquendarum aliquid, & quasi ultimum, potentis. pro quo significando cauda Scorpionis bellissimè valet: nam maxima ejus vis est in cauda; inde asterismum ità delineaverunt, ut pulcherrima stella in caudam veniret. Et quia tunc jam incipiunt frigora, quæ ipsa in pruinis frigora ultimum concoctionis addunt frugibus, quod videmus maximè in vineis; ideo scitè admodùm Scorpio assumptus est, ut cujus venenum frigidum maximam vim habet conficiendi & depascendi. Sed probata fusiùs vide (cùm hujus loci non sit) in partis 3. Sect: 3. §. 1.

§. 2.



§. 2.

Quid Ophiuchus significet in coelo Poëtico.

DIco Ophiuchus implicatus in serpentem est botrus, & serpens est vitis serpens sursum; caput hujus serpentis in cuspidis divisum, est radix vitis; & corona capitis sunt folia vitis, quod apparet ex ipsa figura coronæ, quasi sic foliosæ. Est autem inversa versus serpentem quasi serpentis collo injicienda; quo ostenditur: hanc coronam non esse pro capite serpentis, sed pro reliquo corpore, ita ut folia versus caudam, id est tene-riorem partem porrigantur: folia enim non in radice, sed pro reliquo corpore vitis crescunt sursum versus, ubi extremitas caudæ pulcherrimè extremitates vitis, quæ flagella nominantur propter flexus suos, ostendit. Plinius L. 17. c. 2. 3. Dracones à tortuositate similitudine palmites emeritos, plurimisque annis induratos vocat. Nuper (inquit) repertum Draconem ferere juxta arborem; ita palmitem appellamus emeritum, pluribusque induratum annis. hæc ille. quid huc apertius? hinc vides quare in Octobri Ophiuchus sit cum Scorpione; quia ultimam excoctivam vim suam Sol exhibet in terra excoquendo botros, qui & ingruente jam tunc pruina postremum adjuvantur, & hæc est cauda Scorpionis. Vides hinc, quare (ut supra Sed: 7. §. 3. in fabellis) seu Hercules seu Æsculapius dicatur hic Ophiuchus. Si Hercules, accipitur Synecdochicè causa pro effectu, nam Sol botri causa est; si Æsculapius, patet quare illi (ut loco citato dictum) baculus, cui serpens circumvolutus, pro gestamine fuerit attributus: est enim hic baculus, palus cui vitis serpens circumvolvitur; ex ovo fingitur Corniculæ prodijisse: quia Corniculæ maximè infestæ sunt vineis, & libentissimè botros depascuntur. reflecte te jam super ursam geminis inhiantem ejusque quam dedimus interpretationem, videbis sic corniculam pro botris, sicut ursam pro melle valuisse. Vides denique, quomodo hæc corona Ariadæ dicatur, quam ipsa à Baccho acceperit, aut ut alij, à Baccho inventa sit: Bacchus enim Poëtis est Deus vini.



§. 3.

Quid Ara significet in cœlo Poëtico.

Ara disiecta est, inversaque unà cum igne. Combina combinata hæc cum Hercule ex septentrionali Scorpionis parte inverso, unà cum pelle sua. Hæc ara, quod in cauda Scorpionis de ultima vi excoctiva Solis in frugibus terrestribus diximus, suo igne prorsus luculentè ostendit. quid enim eversa ara seu focus significet clarius, quàm cocturam esse finitam, ignem eversum. Suprà autem Hercules antea nudus, jam ad finem Octobris obtectus pelle, significat nebula à nebulis autumnalibus, Solem interdiu obducentia magis, quàm antea per æstatem; & frigus initiale hyemis, cui vestitu resumpto occurrimus calidiore, scilicet pellibus.

QUÆSTIUNCULÆ.

I. Quare corona est paulò post initium Septembris?

R. Quia voluerunt significare per inversam coronam folia versùs radicem crispantem, quòd circa illud tempus jam exuccis vinearum folijs crispari incipiant folia, nihil amplius in progressu habeant folia, sed deficiant, tum propter æstum, quem sustinerunt eò usque, tum propter matutinum & vespertinum Autumni frigus, quæ utraque hoc tempore uvæ jam in sua magnitudine existentes tantùm maturant. unde videbis dein in Novembri eandem coronam, nimirum vitium folia, jacere sub pedibus Sagittarij, Centauri. eo enim tempore folia hæc defluunt in terram. Sed hæc minutia quæstiuncularum, non exigunt nisi minutias responsiuncularum.

II. Quare Ophiuchus pedem unum, & partem manûs habet ad finem Septembris, & totus quasi gradens in Octobrem situatus est?

R. Quia botri perfectè maturefcere incipiunt jam ad finem Septembris, plenitudo autem hujus maturitatis tota est in Octobri. Adverte sis, quàm dulce venenum hic serpens profundat; inde tanta pestis in Urbibus, ut etiam in publicis compitis & plateis cernantur homines repentè concidere.

SE.



SECTIO IX. SAGITTARIII.

§. I.

Quid Sagittarius significet in cœlo Poëtico.



Sagittarius hîc, est Centaurus Chiron, spiculum tenens versus segmentum Scorpionis, sicut & ipse Scorpio caudæ extremitatem suæ, quod ejus est spiculum, intorquet versus segmentum libræ. ubi adverte ingeniosum Palladis textum, quò has veritates intexuit, & texit. Cauda Scorpionis est spiculum seu radij Solis; sic similiter hîc sagitta Centauri; fuit hæc sagitta Herculis, quam Centaurus ab Hercule, dum eum hospitem haberet, accepit, & pedem sibi transfixit, ut diximus parte 1. Sect: 9. §. 1. Hercules, quod scimus, est Sol; Herculis sagittam cecidisse in pedem Centauri, est radios solares sepultos esse in terra; id est: desuper nil amplius operari (propter superans frigus) ad fructificandum. Sed bene infra terram, calore propter antiperistasin, seu desuper obstans frigus, magis in unum collecto. sicut experimur in hyeme subterranea esse calida, & in æstate frigida, respectu superiorum locorum: unde Sol per hyemem infra terram in mineralibus, in seminibus terræ mandatis occultè operatur. Sic fuit susceptus hospitio Hercules à Centauro, quia Sol se in terram recepit. hæc est sagitta Herculis, quæ Centauro in pedem cecidit, infimam scilicet partem: diximus enim jam suprâ in Centauro hujus partis Sect: 7. §. 3. *Centaurum esse terram.* Sic Pluto Proserpinam rapuit. audi Eusebium in tertio præparationis Evangelicæ: Proserpina (ait) feminum virtus est, Pluto verò Sol, qui tempore hyemis remotiorem mundi partem perlustrat; idcirco raptam ab eo Proserpinam dicunt, quam Ceres sub terra latentem quærirat. Proserpina autem, ut scribit Varro, à Latinis dicta est, quòd hæc ut serpens modò in dextram, modò in sinistram partem latè movetur. vide Liliûm Gyraldum Histór: Deor: Syntag. 6. fol.

6. fol. 196. Jam ergo adverte quare Scorpio caudam invertat, & Sagittarius sagittam eodem suam dirigat; Sicut à Martio, seu Sole crescente in potentia, cornua Arietis, Tauri, chelæ Cancræ, quibus radij Solis augeri vi suâ significabantur respectu frugiferæ operationis in terra, semper pergebant ascendendo à sinistris ad dextram, ità hîc contrà pergunt cauda Scorpionis, sagitta Sagittarij, & cornua Capricorni in oppositum, ut mox dicemus, quò significatur, solares radios semper deficere in activitate; hinc caput habet obligatum Chiron, tanquam infirmus: valdè enim debilis est Sol in Sagittario, id est in Novembri. hinc collineat tantùm deorsum, quia solùm infra terram (ut suprâ dixi) in seminibus & mineralibus quid potest; supra verò hujus Chironis, seu Herculis nostri, Solis denique sagitta inter medios pisces & aves per inane inaniter volat, id est, nihil potest speciale radij solaris pro animalibus nutriendis, sed est tantùm pro inani, id est, aura illustranda in auram emissa.

§. 2.

Quid Antinous significet in cœlo Poëtico.

Pulcherrimus hic puer Antinous (attulimus illum in fabula parte 1. Sect: 9. §. 4.) est totus decor & pulchritudo terræ. hîc miser sedet super Ara superis immolandus, obverso vultu, in quo ratio formæ. Scilicet in agone ultimo est mense Novembri, quicquid in terra adhuc formam & speciem habuit, & hîc perit penitus. Sic per Venerem terræ pulchritudo significatur Horatio: Ode: 4. ad L. Sext:

Solvitur acris hyems gratâ vice Veris & Favoni,

Trahuntque siccas machinae carinas.

Ac neque jam stabulis gaudet pecus aut arator,

Neque prata canis albicant pruinis.

Jam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna,

Junctæq; Nymphis Gratia decentes,

Alternò terram quatiant pede.

Hîc in contrario similiter pes Centauri quatit coronam, id est folia in terram decidunt omnia, omnis decor immolatur, sepelitur. Sic nimirum sicut per Venerem significatur pulchritudo terræ à Poëta, sic hîc per pulcherrimum



juvenem Antinoum eadem terræ pulchritudo significatur; & sicut per hoc Poëta: Gratix & Nymphæ saltant in terra & pulsant eam pedibus, vult significare virorem, vigorem & florem terræ in Vere; sic hîc per pulsum Centauri, qui equino pede terram pulsât, & ex folijs contextam coronam calcat, significatur hujus vigoris & viroris, & demum omnis decoris extrema perditio & cõculcatio.

§. 3.

Quid Aquila significet in cœlo Poëtico.

EX suprâ dictis part: 1. Sect: 9. §. 3. scimus per hanc Aquilam pulcherrimum puerum Ganymedem in cœlum evolâsse. Puer hic est in re idem cum ejusdem formæ puero Antinoo, nimirum pulchritudo terræ, quam prius excessivus calor & nunc Mense Novembri aspera & rigida aura penitus devoravit: sicut enim Jupiter in Cygno significabat auram candidam; serenâque Maji, sic hîc Jupiter in aquila, ave prædatrice, sic expansa, & hianti ore velut emortua, cadente, significatur tempus sterile Novembris, in quo aves ex defectu pabuli magnam famem patiuntur; seu aura frigida brumalis, quâ & fames augetur, & esca volucris, quæ vermibus, aliisque, dum terra adhuc aperta erat, vitabant, minuitur.

§. 4.

Quid Vultur cadens significet in cœlo Poëtico.

ECce quàm Vultur cadens opportunè huc incidat! quàm illius lyræ nunc dictis aptè concordet: significat enim hæc avis expansa, & lyræ in ventre habens: vacuum hoc tempore esse ventriculum avicularum, & inanem, sicuti fidium; desinere idcirco earundem cantum hoc mense penitus, ex defectu escæ, nivibus terram jam obtegentibus, quod ipsum os Cygni in hoc segmentum potrecti furdè canit; sed illum iterum audic.

diemus. Dic age quid elegantius pingi poterat? quâ ingeniosius hæc veritas oculi, quàm in lyra hac, atque in ventre voracis volucris, vulturis præ fame cadentis? Hæc est lyra Apollinis, hæc ingeniosæ Poësis. Hanc cantilenam nemo luserit, nisi qui lyram bene tetigerit, nemo tetigerit, nisi Mercurius, Deorum Interpres fuerit. Sed cùm fides jam habeamus, eamus ad capellam, adhuc clariùs resonabit tenor veritatis.

SECTIO X.

CAPRICORNI.

§. 1.

Quid Capricornus significet in cœlo
Poëtico.



Icut Tauri cornua acutissima acutissimam vim radiorum solarium significabant in Aprili, quibus terram tunc aperuit, sic eorundem radiorum debilitatem significant cornua Capricorni, id est: inflexa retro, quæ nil nocere, nil expungere possunt. hinc ad initium adhuc pedes habet osses capræ, ubi aliqualis major respectu posteriorum temporum ejusdem Mensis fortitudo ostenditur; in fine enim Decembris planè in piscem abit cauda. Hic ergo jam plenè Hyems per tres sequentes menses, sicut per tres menses Ver, per tres Æstas, & tres Autumnus ostensus est.

§. 2.

Quid Delphinus significet in cœlo
Poëtico.



Aspice miserum Delphinum piscem, apertissimo oris hiatu pendentem; graphicè depingit effectum hyemis. Delphinus qui Arionem vexit in mari, Cygnus qui in Majo Jovem in terras detulit, hinc pendent miser. ibi natabant & volabant celerrimè, hinc rigent. Scilicet Cygnus in Majo vivens & candicans, quod vidimus, est terra florida, in aura radiosè candida & serena. Hic Cygnus expansus, everfus & emortuus est terra eadem nivibus obsita, aura tristis & hyberna. Quod Cygnus de terra & aère, hoc Delphinus significat de aqua, unde respondet illi à meridionali parte piscis Notius inhians fluvio, ab Aquario effuso; tunc enim gelu constringi incipiunt minores aquæ, ex qua constrictione piscibus deficit aër, unde in piscinis fiunt foramina pro piscium respiratione; hæc causa est, cur omnia apertis rictibus hiant. Delphinus aquatilius, Equiculus terrestrium animalium, defectum & penuriam pabuli patientium repræsentator est, sicut aquila fuit volucrum, omnibus enim his animantibus necessaria vitæ vel vehementer minuuntur, vel nisi hominum industria prospiciat, penitus ab hyeme auferuntur.

SECTIO XI. AQUARIII.

§. I.

Quid Aquarius significet in cœlo
Poëtico.



Espondeo aquas; hoc est: earum per rigorem & gelu imminutionem, idque adhuc in minoribus; ubi jam piscis unus hæret alteri per vinculum colligatus, quod dicit: pisces glacie strictis aquis & ipsi velut vincuntur, incarcerantur.

§. 2.

§. 2.

Quid Pegasus significet in coelo

Poëtico.

JAm amphoram totam effudimus, vix aliquid amplius est intus : totum in prioribus jam diximus. Pegasus est symbolum fontium, hîc hæret constrictis alis, non potest volare ; hoc est : fontes gelu stricti non possunt saltare ; iste est qui ex saxo Musis Hippocrenen elicuit ; scilicet ex glaciali frigore obstrictis fontibus, factâ resolutione vernâ, aqua rursus profluit. In fine motus velocior, properamus in Pegaso ; glacies est lubrica, non possum me diutiùs detinere.

QUÆSTIUNCULÆ.

I. Quid Balænæ cauda hîc ?

R. Diximus suprâ part: 2. Sect: 1. §. 2. Balenam hanc esse grandioris aquæ præsertim circa insulam concretam glaciem : strictis igitur gelu (ut præmissum est) minoribus aquis, grandiores etiam ingruente majori frigore ad finem hujus mensis, scilicet Januarij, incipiunt ad littora constringi. hinc eleganter per caudam seu extremitatem, tenuiorem piscis partem significatur, deinceps glacie dum gelu increfcit, magis ingroffescente.

II. Quid cauda Cygni ?

R. Quò magis crescit frigus, eò minùs cadit nivium : nives enim non admittunt maximum frigus, quod sciunt Meteorologi, cum hæ ex humore per temperatius frigus concrefcant ; & sciunt rustici, quòd sudissimo coelo, maximum brumali tempore frigus detur, nives verò non cadant, nisi coelo nubibus obducto, adeoque aurâ ob exhalationes terreas tepidiore.

III. Quare manum sub Cygni ala habet Cepheus ?

R. Est mons, qui sub Cygni ala manus habet, quando suas extremitates sub nivibus.



SECTIO XII. P I S C I U M.

§. 1.

Quid Pisces significant in cœlo
Poëtico.



Respondeo: sicut effusa aqua, seu Sol in Aquarij amphora significabat extremam Solis sterilitatem, & debilitatem respectu eorum, quæ supra terram, ita Pisces, seu Sol in Piscibus significant jam jam aliqualem vim Solis, & eam quasi *in semine* conceptam, quod innuebatur illâ fabellâ, de qua supra, quod hi pisces Venerem & Cupidinem transvexerint, sed quæ sit stricta & in aqua, uti pisces; sicut pisces impetum habent majorem, quàm aquæ gelu undique clausæ. unde jam à Februarij fine Sol semper paulatim fortior respectu terræ fiet, & piscis caput, cornu Arietis sensim induet. quæ omnia de Ariete fusè prosequenti sumus supra Sect. 1. §. 1. hujus partis. Atq; hîc demum habes nodum, quò tota Zodiaci Zona stricta tenebatur, solum, certè Herculeum, & quia solarem, & quia non facilè dissolubilem: sidus enim piscium Veteribus *nodus cœlestis* dicebatur, unde Cicero in Arato:

Quam Veteres soliti cœlestem dicere nodum.

§. 2.

Quid Cete significant in cœlo Poëtico.

Hîc patet, quare tam vastè excreverint primi paragraphi Sectionis primæ hujus partis: nam rapuerunt etiam hos ultimos totos secum, scilicet jam illic totum dictum est; unde hîc breviter

Dico:

Dico: corpus Cete est crassissima glacies, quæ maximè hoc mense est; propter frigus non simpliciter, sed etiam ex antiperistasi intensius. frigus enim priùs semper crevit, propter diuturniorem absentiam Solis, qui semper magis ac magis ad Capricornum deorsum deflexit; jam autem à Capricorno ascendendo, quando venit ad Februarium, tunc notabiliter jam terræ diutiùs incumbens, fortioribus eidem radijs insistit, unde frigus pugnans cum hoc calore intra se magis se colligit, atq; adeò potentissimè in glaciem constringit. unde videmus eò potentiolem fieri crassiorémque glaciem noctu illis temporibus, quibus interdiu magis resoluta adeoque humectata sunt omnia; quod maximè fit hoc Mense, propter diuturniorem jam Solis, quam dixi, supra horizontem moram.

§. 3.

Quid Cepheus, quid Andromede significant in cœlo Poëtico.

Quid sit Andromeda, quid Cepheus, supra docui part; 2. Sect: 1. §
 2. hîc aspice sis mitram Cephei; est mons nivibus obtectus; rigentia & adstricta saxo brachia Andromedes eodem loco resolvi
 Puer infrà in fluvio sedens est Phaëthon in hunc fluvium lapsus, unde & ab alijs natanti similis effigiatur. Atque ità annulum confecimus; quem, si, ut præbui, apprehendisti, nè quære pro tuo *auriculari* pretiosiorrem; sanè in digitis habes aureum annulum anni; nimis æstimo? primorum nôstri pretium? excogita tu novam stateram, quæ eatenus à nullo inventa sit, illi hunc annulum impone, & æstima hanc æstimationem.





PARS TERTIA.

HUc distuli *Authoritates*, quæ meæ *interpretationi* suffragantur; eò consiliò ut nè earundem creberrimis *interjectionibus* expositionis dilucidam *seriem* legenti *obscurarem*; quanquam non ità præterire poterim, quin interdum obiter quid attingerem *testimonij*, quò scrupulosiori (quod minùs versato in hujusmodi *eruditionibus* contingere posset) tranquillandæ *solicitudini* mox in principio *providere*m. Nunc igitur semel iterùmque *revolutum* *annulum* tertio, id est perfectè, ad *ultimam* opusculi *perfectiorem*, ut opusculum *mane*at, neque contra *intentum* in opus *excurrat*, celerrimè *revolvamus*.

SE-

SECTIO I.

§. I.

Omnis Deus Gentilium Poëtarum est folus Sol.



Anc maximam præmissimus & demonstrandam promissimus, parte 2. Sect: 1. §. 1. est Athanasij Kircheri ex alijs, quem lege Lib: 3. Mýstagogiæ Ægyptiacæ in Obelisco Pamphiliانو, ubi hæc habet: videtur Plinius dubitare, num, quis Deus præter Solem sit, nam ridet fabulosam persuasionem de Dijs. Non desunt, ait ibidem, qui ideo

ἡλιος forsan ab Hebræo **שן**, quod Deum significat, derivatum velint. Certè Macrobius præ cæteris pluribus argumentis evincere contendit, Deos omnes ad Solem referri, idque unum esse Numen, quod sub varia nominum appellatione Gentes venerentur. Mihi hoc satis esset; neque enim volo hîc aliud, quàm ostendere, me interpretationem meam non temerè suscepisse, sed luce ex Veterum illustrissimis lampadibus desumptâ. & nisi in longum excurreret, facillimum mihi esset, hoc de singulis particulatim Dijs ostendere, quòd singuli ab Authoribus nominati, pro Sole intellecti sint. Sed quoniam Deorum major, quàm pulicum numerus, ubi hîc inciperem, nè dicam desinerem? Hesiodus in Theogonia triginta millia Deorum tantùm ministrorum Jovis numerat; at Jamblichius & Trismegistus & Pfellus, aliique longè plures; nimirum plenum ijs aërem & cælos omnes distitârunt. Divus Augustianus de civitate Dei hæc habet de multitudine & diversitate Deorum. Quisnam ferat, quòd neque inter Consentes Deos, quos dicunt in concilium Jovis adhiberi, neque inter Deos, quos Selectos vocant Felicitas constituta est? Consentes autem dicti sunt, quasi in eo, quod gerendum est, consentientes; appellantur à Cicerone alio nomine Dij majorum Gentium. Erant hi numero duodecim, mares sex, & sex fæminæ, quos Ennius hoc disticho complexus est.



*Juno, Vesta, Minerva Cerèsque, Diana, Venus, Mars.
Mercurius, Zeus, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Satisfecero igitur tibi hîc, si ostendero, quòd præcipui hi Dij sint solus Sol :
cæteri enim accedent ad hoc suum principale.

I. *Apollo est Sol.* incipio à notioribus : hoc enim est extra dubium apud omnes. vide tamen apud Kircherum Oedipi Ægyptiaci, tom: 2. p. 1. Clast: 3. Sphynge Mystagogicâ. §. 4. clarissimè ex veterum iconismis probatum, Sed hoc clariùs Sectione immediatè sequenti.

II. *Jupiter est Sol.* Apparet ex voce *Jupiter*, quasi, ut asunt, *juvans pater*; quis autem omnium mineralium, omnium vegetabilium, omnium sensitivorum, omnium astrorum Genitor, *pater*, & conservator, adeoque *juvans pater*, id est *Jupiter*, nisi Sol? rursum, Jupiter, seu Græcè Zeus Zeus, idem est quod πᾶν, ut clarissimè probatur apud Kircherum paulò antè citato loco §. 2. ex hieroglyphico *Panis*; ubi hic titulus: Jovis sive Panos hieroglyphica representatio. & πᾶν, Pan, Sol est, ut idem Author ibidem, Ergo. Natalis Comes Mythologiæ Lib: 8. c. 18. hæc habet asserta: *Jovem esse calorem æthereum*; & in terminis ibidem dicit, *Solem esse interdum Jovem.* Apud eundem luculentiora; ex quibus aliqua rursum Sectione sequenti afferemus.

III. *Vulcanus est Sol.* probatur. Ille est Vulcanus, qui Jovi, id est aëri, fulmina cudit, sed hoc est Sol, ergo. probatur secundò: Euseb: in præpar: Evang: dicit *Vulcanum esse virtutem ignis.* Sed hæc est solus Sol, ergo. Rursus Lilius Gyrald: Syntag: 13. historiæ Deorum, scribit à Græcis Vulcanum dictum ἡ Φαῖσος quasi ait Φαῖσος ἡ ἰσὴρ *luminis præses*, addito ἡ ut Socrates apud Platonem exponit. Subsumo, atqui *luminis præses est Sol*, quod nemo non videt, qui videt; ideo vocatur vulgariter *luminis dispensator*, ergo. Denique ignem Vulcanum esse Poëtices tyronibus perspectum est; sed omnium ignium velut fons est Sol, ergo. Hinc illa fabula: Vulcanus è cœlo decidit; in terra claudicavit; hoc est: ignis siderum non eget pabulo; in terra autem iste Vulcanus eget grallis, id est lignis, quibus sustentetur.

IV. *Mercurius est Sol.* Iconismus Solis, de quo supra, habet uti *clavam*, & *leoninam pellem* Herculis, sic *Caduceum* Mercurij, & fingitur *Apollini tyram*, & Apollo illi *virgam Caducei* dedisse, Vulcano autem instrumenta fabrilia, ut refert Lucianus in Dialogo Apollinis. Dies illi & Gallus

facer, quæ Solis sunt. vide apud Natalem Comitem Mythologiæ L. 5. c. 5. & hujusmodi plurima passim; quæ omnia indicant ipsum eundem, quem Solem esse, ergo. Sed clarius.

Natalis Comes Mythologiæ Lib: 8. c. 18. exponens fabulam de Argo à Mercurio occiso, ut Ovidius fusè describit Metamorph: Lib: 1. hæc habet: Juno, Argo, cui centum erant oculi, illam (id est Io puellam, à Jove in vacsam mutatam) servandam dedit; quia cælum, cui plurimæ sunt stelle, tanquam oculi, illam intuetur. hîc habemus Argum. Sed iidem oculi Argi, sunt poma Hesperidum, quæ Hercules Sol rapuit, ut habemus ex Lilio Gyraldo, Kirchero, Natali, & Calepino. ergo Mercurius & Hercules sunt idem Deus, sunt idem Sol. Verùm deinceps adhuc clarius; hanc veritatem autem sub fabella latere manifestè Ovidius innuit, dum illam sic finit:

Centùmque ocnlos nox occupat una.

V. *Mars est Sol.* Canis illi facer, Lupus, Gallus, sicut Apollini, ut habet Natalis Comes in Mythol: de Marte. *Est vis ignea*, ut idem ibidem fol: 108. ubi & hæc expressè leges: *Hunc eundem Deum & Solem esse aliquando putatum superiùs expressimus; & apud Aquitanos Hispania populos Martis simulachrum radijs ornatum eximâ Religione cultum fuisse memorie proditur. & ratio ipsa naturæque videtur expetere, ut corpora illa superna, quæ calorem rebus inferioribus inserunt, nominibus potius, quam re ipsâ sint diversa.* Habes hic & Authoritatem & rationem universalem, pro probanda præsentî thesi mea, quòd Sol sit omnis Deus: quia, cum Gentiles planetas propter eorum in terrestria influxum & admirabilem motum, ut Deos colerent (unde eadem planetis, quæ præcipuis Dijs his nomina) scilicet: Saturnum, Martem, Jovem, Mercurium, Venerem, Lunam, Solem; & Sol horum sit Princeps, ut à quo reliqui suum lumen habent, ita ut illi omnes, sint unus Sol participatus secundum lumen, clarum est: Deos hos omnes unum eundemque Solem esse. huc iterum audiatur Natalis Comes Mythologiæ L. 8. c. 18. *quoniam primi omnium mortalium Ægyptij, cum oculis sustulissent, vidissentque Cælum, Solem, Lunam, astra perpetuo motu moveri, & plurimum rebus humanis prodesse, à perpetuo cursu Deos vocârunt, atque Solem & Lunam præcipuè divinis honoribus coluerunt, ut testatur Eusebius Lib. 2. prepar. Evang. & Plat: in Cratylo. hæc ad verbum ille. res in Sole est, oculum cupio Judicem.*

VI. *Neptunus est Sol.* probatur ex præmissis; notissimum est apud Poëtas, quòd Orbis divisus sit inter hos tres, Jovem, Neptunum, & Plutonem,



sic Homerus: quòd primus cœlum, Neptunus aquas, Pluto infera terræ obtinuerit; sed Solem vidimus eundem esse cum Jove, eundem cum Plutone, ut de raptu Proserpinæ docet Eusebius, cujus verba suprà dedimus part: 2. Sect: 9. §. 1. conclude igitur de tertio. nimirum Sol in aëre operans est Jupiter, in aqua Neptunus, in mineralibus & seminibus terræ Pluto, ut itidem docet Kircherus in Obelisco Pamphiliano, ex professo hoc argumentum tractans. Secundò Virgilius libro 9. scribit à Neptuno esse ædificatam Trojam, audi illum:

- - - an non viderunt mœnia quondam

Neptuni fabricata manu considerare in ignes?

nunc audi Ovidium etiam in epistola Paridi ab Helena missa asserentem quòd Phæbus, citharam pulsando, Trojam ædificaverit:

Ilion aspicias firmat aque turribus altis,

Mœnia Phœbeæ structa canore lyra.

Ecce manus Neptuni, sunt manus Phœbi, seu Solis, & Neptunum Solem negabis? Solem negabis. res tam clara est modicè in fabellis Veterum & earum interpretibus versato, ut videatur mihi lucidissimè hanc veritatem visurus, qui Solem per cribrum aspexerit: sicut enim ibi multos Soles & tamen unum videt, sic in multis Dijs tantum unus, ipsusque Sol est; tantum farina hujus minoris Deos bene cribra, infallibiliter ultimò *solus Sol*, unde nomen nactus est, remanebit. Hæc in particulari de majoribus, quos in versu adduximus, Dijs maribus; de feminis idem profus est: passim enim leges Dianam v. g. esse eandem cum Hecate, cum Luna, Lucina. hinc etiam dicitur *trivia*; quia in terris Diana est, in cœlo Luna, in inferno Plutonis uxor. Sic magna mater Tellus, Rhea, Cybele confunduntur à Poëtis sumunturque promiscuè pro eadem. & nemo non videt quomodo Flora à Tellure distinguitur, scilicet sicut terra florida à terra simpliciter sumpta, & Ceres terra aggressis & fertilis, & aliæ similiter. unde supersedeo in re tam obvia & ex præmissis perspecta, & rursus melius perspicienda, fusiùs argumentari, satis existimans monuisse: Deas nihil esse nisi *Deorum marium uxores*, quæ partus gestant divinos; activis correspondent passiva. Hæc in particulari de Dijs particularibus; ut autem nullum effugium maneat, vallo uti antè, sic hic postremo loco universalibus Authoritatum assertis propositam Thesis. Legitur apud Natalem Comitem Mythol: L. 2. c. 6. quod sequitur: *Verum quid opus pluribus ut antiquorum consuetudinem intelligamus, & quòd ij varijs nomi-*

nominibus Deorum, rem eandem nominarunt. Videris mihi jam assentiri; unde in concordiae testificationem propino tibi, ex minore Cratere Orphei, liquidissima isthæc.

*Nuntius interpres Cyllenius omnibus ipse est.
Nympha aqua sunt; frumenta Ceres, Vulcanus at ignis.
Est mare Neptunus canentia litora pulsans;
Mars bellum; Pax alma Venus; mortalibus ipse
Taurigena & Superis animi curæq; levamen;
Corniger est Bacchus, convivia læta frequentans;
Aurea justitiâque Themis re&umque tuetur;
Sol est mox idem contorquens spicula Apollo
Eminus & peragens, & Divinator & Augur,
Morborum expulsores Deus & Epidaurius, ista
Omnia sunt unum, sint plurima nomina quamvis.*

hæc loco citato Orpheus, rursus Orpheus in Hymnis:

Æther, Sol, lumen purum, idem, sidera, Luna.

concinat huic cantilenæ Hermescianax Græcus Poëta:

*Pluto, Persephone, Ceres & Venus alma, & Amores,
Tritones, Nereus, Tethys, Neptunus, & ipse
Mercurius, Juno, Vulcanus, Jupiter & Pan
Diana & Phœbus jaculator sunt Deus unus.*

Dices, hæc omnia probant tantum: omnia esse unum Numen; sed unde quòd omnia sint *Sol*? Adverte:

Authoritates allatæ de particularibus Numinibus docent id pro Numine in ijs accipi, quod *habent à Sole*, ut vim corroborativam, vel vi&ricem pro Hercule, Mercurio; exco&tivam infra terram pro Plutone; in vitibus pro Baccho; generativam in aère pro Jove; in aqua pro Neptuno; quæ longo catalogo recenset suo ordine Kircherus in Obelisco Pamphiliiano; idem vides in Cerere, in Flora, in Luna, Diana, &c. nimirum propter fructus, quos hæc subiecta recipiunt à Sole agente tanquam matres; ergo in his omnibus Numen est *participatus solus Sol*: quia propter quod unumquodque tale, & illud magis. ratio unica est: hi Dij à *generationibus* in elementis totum suum ortum & fundamentum habent, ut luce ipsa clarius est, & tam nuda veritas, ut propterea turpissima evaserit potior pars fabularum veterum (nòrunt, quid



quid loquar, periti in Poëticis) sed hujus generationis fons, *Solest*, ut sciunt Philosophi, quorum Princeps Aristoteles ipsiusmet etiam hominis causam hominem & Solem dicit, ergo.

SECTIO II.



Robantur animalia Zodiaci id significare, quod supra assertum est, in Genere.

§. I.

Maximam nostram absolvimus de Sole, quod is solus Gentilium Deus sit, & maxima nostra in hoc ipso absolvimus: jam enim minori labore intelligetur animalia à Dijs in cœli Zodiacum illata significare Solis operationes, quas nunc aggredimur demonstrare. hic labor est Herculis: sic enim Orpheus cecinit duodecim Herculis labores:

*Qui fers Auroram validè noctisque nigrorem,
Sex, bis ab occasu exantlans certamina ab ortu.*

Sic Apollodorus L. 2. Bibliothecæ. quibus consonat Macrobius L. 1. Saturnalium. c. 20. afferens Herculem esse Solem; & patet ex ejus Græco nomine manifestè: nam *ἥρας* significat aëris, *κλίας* gloria. est itaq; *ἥρα κλίας* & contractum *ἥρα κλῆς* Hercules, aëris gloria, Sol. ad argumentum universale, seu Genericum:

Poëtæ voluerunt Physicos Solis effectus in terraqua explicare per eas fabulas, quæ non habent quicquam nominatim in cœlo Poëtico, seu sphaera Astronomica; ergo à fortiori illæ quæ Solis ipsam viam insident, & quas inter, tanquam in sua Regia, totidem aulaeis tapetibusque, quot earum picturis exornata, anno toto Sol spatiatur, sunt à Poëtis elaboratæ, ut explicent hos Solis effectus. non laboro de consequentis aut consequentiæ veritate, hæc enim pateticè prodibit suâ sponte paulò post. Consequentiam hanc ideo deduco ex hoc antecedenti, quasi ex impertinenti, ut datâ excurrendi occasione incidamus



opportune, importune, in obvia, quæ ea nobis citius exhibent, quæ ex professo quærimus, quàm locus proprius, ubi, vel quibus, quæ sita intimè insunt; quemadmodum Solis ortum à latere seu Aquilonis, seu Austri, videris interdum citius in sublimissimè cuiuspiam montis vertice, quàm in oriente, quò properas ad hunc ipsum Solis ortum, tanquam in plaga propria ortui, observandum. Audiam⁹ igitur in hoc procursu probandi antecedentis proximè positi, fabellas ad Zodiacum impertinentes, permodum impertinentis ad rem nostram, quam tamen his licèt obliquis radijs admodum clarè, nec minùs amcenè illustrabunt.

§. 2.

IMPERTINENS PRIMUM

pertinens ad probandum antecedens.

Python Draco ab Apolline interemptus quid significet.

D Escribitur hic Draco ab Ovidio Metamorph: Lib. 1. sed te quoque maxime Python

Tum genuit: populisque novis incognite Serpens

Terror eras: tantum spatij de monte tenebas.

Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis

Antè, nisi in damis, capreisq; fugacibus usus,

Mille gravem telis exhaust à pene pharetrâ

Perdidit effuso, per vulnera nigra veneno.

Hic describit Poëta, quomodo post diluvium tempore Deucalionis ex cœno incalenti fuerit inter cætera animantia Draco ille famosus generatus, & dein ab Apolline sagittis interfectus. Quis est hic Draco? quis Apollo?

Dico: Apollo est Sol, Draco sunt lacunæ & paludes, quæ ex illuvie fiunt, has deinceps obortus Sol sagittis suis, id est radijs, conficit, exiccat. Sic peremptus est Python. Patet id ex ipsis Græcis vocibus, nam Pythicus Apollo, ut ait Macrobius, à πύθειν id est, à putrescendo dictus est. unde habes, qualis Draco fuerit Python, quibus sagittis occisus: Apollo enim, ut suprâ vidimus, ab ἀποβάλλω, id est jacio, scilicet sagittas radiorum, dictus est. Sole nimirum lacunas radijs suis adurente, primum putrescere facit, sed profusus ad-



adempto humore iterum puritati reddit. nihil clarius ad hanc rem, quam Apollo, quem totum pro rei magnitudine, & fabularum de hoc Deo multitudine, sat breviter, dilucidèque exponit Natalis Comes Mythologiæ Lib: 4. c. 10. ex quibus & prius dicta magis consolidantur, quæ consolidatio virtus Solis est Herculeæ; & dicenda, ut deinceps luculentius pateant, præviè illustrantur, quæ Mercurialis, Jovialis, & Apollinaris, denique Solis ejusdem potentia est; sic ergo ille:

Nunc, quid per hæc fenserint, vestigemus; appellârunt Antiqui (ut sæpius dictum fuit) varias naturæ vires, vel siderum vel summi Dei, in res humanas actiones, varijs Deorum nominibus: quid enim per Apollinem intelligebant, de quo tam multa tradita sunt in fabulis? declaravit id Cicero Lib: 3. de natura Deorum. *Ille autem, Balba, quæ tu à cælo astrisque ducebas, quam longè serpant non vides: Solem Deum esse, Lunamq; quorū alterū Apollinem Græci, alteram Dianam nuncupant.* & Plato in Cratylo; ubi nominis rationem perquiri, quæ ad quatuor facultates illius extenditur, ad *Musicam, Divinationem, Medicinam, Peritiãque mittendarum sagittarum; Apollinem*, nunc quia non plures sint, nunc à *solvendo*, nunc à *mittendo*, nunc rerum simplicitate dictum contendit, quæ Soli conveniunt omnia, ac nulli præterea. Quid enim veritatem magis aperit, quam Sol & omnem tenebrarum caliginem ex humanis rebus dispefcit? (*ecce Mercurium, Deorum Interpretem!*) aut quid magis confert medicorum pharmacis? (*ecce Æsculapius & Chiron Centaurus!*) siquidem herbæ, quæ in apricis locis nascuntur, multò magis rei medicæ conferunt, quàm in umbra, aut in humidioribus locis nutritæ; hic est generationis & corruptionis rerū unic⁹ Author (*ecce De⁹ Deorū Dearūmq; nã, ut supra dictum, per Deos & Deas intelligebant Veteres varias naturæ vires & actiones.*) ut in libris de ijs sensit jure Aristoteles. Hinc longissimè è cælo in terras radios suos minimè debilitatos jaculatur; unde dictus est à Poëtis *ἠέριος* scilicet è *longinquo operans*, & *ροήτιος* quia obliquum habeat incessum sub Ecliptica; & *Phœbus*, à *splendore* luminis, & *Delius*, quia *occulta manifestat*; & ab hujusmodi causis multa nomina obtinuit, quæ nulli certè nisi Soli convenire possunt. Hic pestis & salutis solus est opifex, quoniam in symmetria caloris universa animantium vita salusque continetur. Hic medicus inter cæteros planetas tanquam Dominus cæterorum collocatur, quorum motus incredibilem efficere harmoniæ suavitatem crediderunt Pythagorici; quare Musicæ Author putatus est. Huic citharæ inventionem tribuerunt, quæ septem chordis prius muniebatur, ut ait Virg: L. 6.



*Nec non Threicium longa cum veste Sacerdos,
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.*

Qui chordarum numerus planetarum numero conveniebat; cum plurium chordarum instrumenta musica recentiora sint vel Pythagoræ temporibus, vel Orphei. Hic Jovis & Latonæ filius fuisse creditur, & in Delo natus; quia post illam confusam mundi, ut vocant, materiam, ex qua univèrsa, quæ sunt, creata creduntur, quæ λητώ quasi ληθώ (ut ait Plato) à latendo & ab inciticia fuit vocata, ab omnium rerum opifice Deo lux prima omnium prodierit; nam primùm Solem & Lunam duo luminaria majora in principio creavit Deus omnipotens. Nati dicuntur Apollo & Diana in Delo; quia continuò exortà luce res cognosci, & videri posse cœperint, cum priùs in confusa & informi materia omnia delitescerent. Qui Dionysi filios putârunt esse vim & actiones Solis, Apollinem esse crediderunt, ac Dionysum esse Solem ipsum (*ecce Bacchum, qui aliter Diensysus appellatur!*) cujus filia sit Luna; cum à Sole Patre lumen, vimque suam universam accipiat. Eadem ratione, quâ calor mediocris confert omnibus animantibus, putatur Æsculapius, qui medendi artem callet, Apollinis esse filius. Hujus filius Æsculapius à Jove irato fulmine percussus interiit; quia, cum benignitas Solis, & temperies animantibus sit salubris, aliquando *ab inflammato aère pestis* oritur, & in morborum gravitatem tota illa Solis clementia vertitur; quare gravior fit pestilentia medijs temporibus, quàm per summos calores, aut per eximia frigora; neque illud mirum, quando vel in malè affectis corporibus idem contingit: nam quæ firmis conferunt, eadem ægrotantibus plerumque solent obesse, vel propter imbecillitatem concoquentis in stomacho caloris, vel quia magni refert, quò naturalis potentia, humorùmque cursus divertatur: fit enim tanquam in humanis corporibus, ità in hac rerum universitate aliquando astrorum quorundam concursus, unde concitetur aëris intemperies, ex qua nascitur pestilentia. Quæ modò fit ex abundantia, modò ex inopia nimia humoris, quam necessariò sequitur annonæ penuria, *cum omnia inferiora gubernentur à superioribus*; & illa omnia non nisi Dei supremi & altissimi nutu quidquam agunt. Apollo dicitur mortem filij graviter ferens Cyclopes Jovis ministros, fulminumque artifices interemisse, quod nihil aliud significat, nisi Solis beneficio rabiem illam vaporum, qui pestem excitaverant, fuisse extinctam (*ecce! quid sint Cyclopes, vapores; & patet ex nominibus; primus vocatur Brontes, ex Græco βροντή tonitru. secundus Steropes σεργονή fulgur, tertius*



Pyracmon ab igne & incude; nam πῦρ ignem & ἀκμὴν incudem significat) nam ex ipsis vaporibus quodammodo affectis, morbos procreari constat, & salubritatem everti, & è vaporibus fulmina Jovi confici, cùm illi sint fulminum artifices; cùm enim Æsculapius sit Apollinis filius, medicus peritissimus, isque sit aëris optimè affecti temperies, hanc temperiem eximius calor destruit, per quem vapores absumentur, neque usquam possunt consistere. Cùm aliquid simile fortasse superioribus temporibus contigisset, ut fabulati sunt de Phaëthonte, (*ecce quid sit Phaëthon*) ita ob hanc rem datus est locus fabulæ, quia ob fulmine occisum filium Apollo Cyclopas, quod fulmina faciebant, occiderit. Ex cœlo igitur descendisse per id tempus putatur; quia benignior, & quasi humanior, quàm antea Solis natura sentiebatur. Id cùm ita contigisset, cognoverunt mortales Solem esse omnium rerum moderatorem: quare, cùm tepor illius conferat animantibus, *pavisse* armenta Admeti putatur, & inter Deos agrestes non ultimum locum sortitus est. (*Ecce Pan, Deus Pastorum*) post pauca: laurus illi, tum ob innatum calorem consecrata est, cujus ex attritu lignorum, facile ignis eliditur, tum etiam ob divinationem: quia ejus folia sub pulvinari dormientis posita, creduntur vera somnia gignere; præterea illi, quibus natura Solis plurimum dominatur, (nam alij aliorum Planetarum naturæ magis clam adhæremus) multa facilius præsentunt, quare divinationem, & vaticinandi peritiam Apollini tribuerunt. Huic Deo *Gryphes* & *Corvi* ob similem vim præsentendi dicati sunt. Hujus imago ab antiquis fingebatur, quæ dextrâ manu Gratias gestaret, at sinistrâ sagittas & arcum; quia multò plura sunt ejus in humanum genus beneficia, quàm incommoda, quæ inferuntur. Hunc Deum semper juvenem finxerunt, quia sempiterna illa sublimia corpora nullam sentiunt senectutem; & quia semper eadem vis est Solis, quamvis minimè appareat nonnullis, ob Signiferi circuli obliquitatem. *Capillos* illi tribuerunt prælongos, ad explicandam vim radiorum; (*Vides comprobata, quæ de capillis Medusæ diximus*) quem etiam intonsum vocavit Horatius in his carminibus:

*Dianam teneræ dicite Virgines,
Intonsum pueri dicite Cynthium.*

Et in hanc rem pluribus adjectis, finit sic: At verò qui dicunt quod Pytho-
nem serpentem sagittis confecerit, cùm parvus adhuc esset, quid aliud signific-
cant, quàm Solis naturam, & mundi nuper nascentis: cùm enim Sol nuper
natus esset, & post illum omnia sidera, cœpit Sol vapores è terra, qui plurimi
fuis-

fuisse dicuntur, sursum suo calore attrahere; quo tempore pro natura infantium, plena humoribus terra, multisque nebulis ex illis procreatis tecta, cum recens à cæteris elementis fuisset divisa, omnia putredine plena erant, quæ ex humoris abundantia, aut certè sinè humore non contingit. Tum verò Sol suis radijs novam terram assiduè illustrando, quasi sagittis quibusdam ipsam putredinem feriens, paulatim exiccavit, salubremque animalibus sedem fecit. Neque aliam rationem aut causam fingendarum harum fabularum putaverim, nisi quòd modò vires elementorum, modò sidera pro Dijs colentes, suorum Deorum vires celebrare per has fabulas voluerunt. Nam fabulæ quæ *de Dijs finguntur, ad rerum naturalium, aut astronomicarum considerationem spectant. Quæ de hominibus, ad vitam mortalium informandam, & in melius vertendam.* Hæc ille de verbo ad verbum citato loco.

Jam ego te, credo, centoculum Argum constitui omnium meorum suprâ assertorum, ità omnia illa vides probata clarissimè. Imò erravi; jam ego Mercurius, id est, Deorum horum Interpretes centoculo tibi Argo videor nonaginta novem oculos expunxisse, & unicum tantum reliquisse; centum enim priùs oculos habebas, *centum Deos* videbas, centum fabellas, centum diversas picturas, jam vides non nisi unicum totius sphæræ seriem Physicam seu naturalem; & vides probatam à me ratione, & autoritate, & rursus Mythologi hujus peritissimi ratione, & autoritate stabilitam. Vides unicum figurarum textum Minervæ, quò globus astronomicus obtegitur; vides unicum Poëtarum Gentilium Deum, Solem; vides oculo hoc tuo, aded ab elucidato isthïc Apolline repleto tantam lucem, ut nihil visurus sis aliud, quid quid tibi ostendero deinceps, quod solet contingere oculo diu in Solem defixo. Quid enim novi dixero ad te convincendum, quod tu priùs comprobatissimum oculo tuo perspicacis ingenij tui non videris? hïc vidisti jam Apollinis cum Pythone certamen adeò decantatum; vidisti Phaëthontis totius orbis, etiã literati, incendiarij (certè tam nota est quibusvis eruditis celeberrima hæc fabula) lapsum. Hïc vidisti centimanos Gigantes, terræ filios, qui montes contra Jovem in cælum projecère: quid enim hi terræ filij, nisi vapores terrei, ex quib⁹ montes nubiũ fiunt, qui se in auras ejaculantur in cælum, in quos Jupiter fulmina detorquet, quoties ex ijs tonat, fulgurat, fulminat? hïc vides terræ filium, Gigantem vastissimum, Antæum, quem Hercules non potuit interficere, nisi postquam eum à terra sublevavit, & in aëre suffocavit; nam quoties terram attigit matrem, novas vires accepit: nihil est enim iste Gigas, nisi *nebula*, quæ cum Sole luctatur; quæ quàm diu inferiùs ad terram manet, tam diu non



potest à Sole superari ; elevatur dein sursum in aëra , & dissipatur , suffocatur . Vides hîc Astræum Gigantem , qui ex Aurora ventos generavit , unde ab eo Astræi fratres dicti sunt . Ovid : L. 14. Metam.

*Aërâque & tumidum subitis concursibus equor
Astræi turbant , & eunt in prælia fratres.*

Hic pugnam vides Herculis cum Acheloo fluvio radijs Solis infestato ; pugnam Herculis cum Lernæa hydra ; hîc raptum à Plutone Proserpinæ ; hîc Cadmeam messem virorum armatorum , & eorum pugnam ; verbô vides , si modò bene circumspicias , totam Metamorphosim Ovidij : ex qua (quia jam mei instituti non est) tantùm particulam tibi iterum detego , ut , si volueris , cætera tu his visis ipse suapte curiositate perlustras ,

IMPERTINENS SECUNDUM.

Hercules quo pacto mortuus , & in cælum translatus.

D Ejanira , Herculis uxor , suspectum habens maritum , sacrificaturo Nessi Centauri vestem ejus sanguine & Lernæo veneno imbutam , quam ab eo pro antidoto acceperat adversus hymenæos hujusmodi , per Licham famulum transmittit ; hanc ubi Hercules induit , & sanguis venenatus incaluit , exardescens ignis , miserum sensim depastus est . In Junonem , ut hoc malo suo lætantem , invehitur , cui se penitus etiam perdendum offert . Ad indignitatem rei exaggerandæ , labores suos tam gloriosos recenset ; cruciamentum suum iterum deplorat ; Oetam gemens , ac dolore furens percurfat ; Licham , ut exitialis hujus muneris ministrum , in Euboicum Pelagus projicit ; Is in scopulum versus , hominis figuram præferens . Tandem , structis in pyram arboribus , se Nemæi Leonis pelli imponens , & clava pro cervicali utens , pyram curat à Philoctete accendi ; comburitur ; à Jove in cælum transfertur . Audiamus hîc nostrum historicum , ad motum hanc rem enarrantem Metam : L. 9. ubi præmissâ descriptione suspicionis finistræ à Dejanira in Herculem habitæ ait :

*In cursus animus varios abit . Omnibus illis
Prætulit imbutam Nesses sanguine vestem
Mutere : quæ vires defecto reddat amori ;
Ignarôque Lichæ , quid tradat nescia , luctus*

Ipsa suos tradit, blandisque miserrima verbis
 Dona det illa viro, mandat. Caput inscius heros
 Induiturque humeris Lernæa virus echidnæ.
 Thura dabat primis & verba precantia flammis,
 Vinæque marmoreas pater à fundebat ad aras:
 Incaluit vis illa mali, resolutæque flammis
 Herculeos abiit latè diffusa per artus;
 Dum potuit, solitæ gemitum virtute repressit;
 Victa malis postquam est patientia, reppulit aras,
 Implevitque suis nemorosam vocibus Oeten.
 Nec mora, letiferam conatur scindere vestem,
 Quæ trahitur, trahit illa cutem, (fœdumque relatu)
 Aut heret membris, frustra tentata revelli,
 Aut laceros artus, & grandia detegit ossa.
 Ipse cruor gelido cœu quondam lamina candens
 Tincta lacu, stridet, coquiturque ardente veneno,
 Nec modus est; sorbent avidæ præcordia flammæ,
 Ceruleusque fluit toto de corpore sudor,
 Ambustique sonant nervi: cæcæque medullis
 Tabe liquefactis, tollensque ad sidera palmas
 Cladibus exclamans Saturnia pascere nostris,
 Pascere, & hanc pestem spectata crudelis ab alto!

Describit dein fusè Herculem suos labores referentem ad hanc indignita-
 tem exaggerandam, tum subdit:

- dixit; perque altam saucius Oeten
 Haud aliter graditur, quàm si venabula Taurus
 Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.
 Sæpe illum gemitus edentem, sæpe trementem,
 Sæpe retentam totas infringere vestes,
 Sternentemque trabes irascentemque videres
 Montibus, aut patrio tendentem brachia cœlo.
 Ecce Licham trepidum & latitantem rupe cavat à
 Aspicit; utque dolor rabiem collegerat omnem,
 Tunc Licha, dixit, fer alia dona dedisti?



*Tūne mea necis Author eris? tremit ille, pavētque
 Pallidus, & timidè verba excusantia dicit;
 Dicentem, genibusque manus adhibere parantem
 Corripit Alcides, & tērque quatērque rotatum
 Mittit in Euboicas, tormento fortius, undas.
 Ille per aërias pendens induruit auras,
 Utque ferunt imbres gelidis concrefcere ventis,
 Inde nives fieri, nivibus quoque molle rotatis
 Astringi, & spissâ glomerari grandine corpus,
 Sic illum validis jactum per inane lacertis
 Exanguemq; metu nec quidquam humoris habentem
 In rigidos versum Silices prior edidit etas.
 Nunc quoque in Euboico scopulus brevis eminet altè
 Gurgite, & humana servat vestigia formæ
 Quem quasi sensurum nauta calcare verentur
 Appellântque Lichan. Hæc ille.*

Prosequitur dein combustionem ejus, & in cœlum translationem, quam
 his versibus absolvit:

*Quem Pater Omnipotens inter cava nubilaraptum,
 Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.*

Quæso te lector, diligenter lege hanc fabellam, & dic mihi quid significet?
 quod si ex præmissis jam ita pro tuo ingenio institutus es, ut totum artificium
 ingeniosissimi Poëtæ in veritate isthæc occulta intimè pervideas, iterum ite-
 rumque te quæso, dic tibi clam ipsi, cum ego audire nequeam (quamvis jam
 nunc te audiam) quoties, si præmissa jam non legisses, hæc legisses, quoties
 revolvisses, & tamen involuta volvisses, non intellecta legisses? jam ergò, ut
 videas me videre quid videas: ostendam quid hîc latentis veritatis videam;
 dico: hîc nihil aliud describit Ovidius, quàm tempestatem, pluviam, toni-
 trua, fulgura, fulgetra, fulmina, & quæ tempore grandissimæ tempestatis
 cætera fieri solent, tam rectè, ut vix textiùs, ita tamen simul apertè, ut si quis
 hanc clavim habeat, quâ sciat tempestatem hîc describi, manibus propè
 palpet, id hîc describi. Unde videtur mihi Poëtæ apertè occulta, & occultè
 aperta descriptio ista sic procedere, sicut anates in piscina, quæ se aliquantum
 in aquam abscondunt, ita ut quidem penitus non videantur, ta-
 lem tamen tractum desuper in superficie aquæ, & lineam occultè na-
 tantis

tantis apertum indicem describant, ut qui semel scit *anatem se hic submisisse*, possit semper dicere *hic, hic, pergite*, etiamsi anatem non videat; sed vide si num rectè viderim. Primò Hercules est Sol, Dejanira uxor ejus, est terra; hæc mittit illi Lernæ hydræ veneno infectam vestem, id est vapores sulphurosos, ex quibus cœlum obnubitur, Sol obtegitur; hæc est vestis; vidimus enim supra in hydra Lernæa quòd nihil sint, nisi paludosa loca, ex quibus humores & vapores assurgunt in nubes; finguntur autem ad speciem historiæ faciendam, amores semper liciti, illicitique, unde pugnæ, bella, ut generationes & corruptiones explicentur, quæ fiunt ex pugnis adversantium sibi, & victorijs. *Hercules thurificans*, seu sacrificans, est Solis intensus æstus, vapores hos in altum tanquam *fumum* trahens, nubes congerens; hæc veste *nubium* indutus ubi incaluit, fingitur sensisse *venenum*, & præ dolore incepisse *ingemiscere, ejulare*; hæc sunt *tonitrua* initio tempestatis. conatur scindere vestem, & *lacerat* illam sic, ut secum *cutem* abstrahat; hæc sunt *coruscationes & fulgura*, quia *divulsis* nubibus, effulget violenta *lux*, quod *membrum* est Herculis, Solis. Sic *detegit grandia ossa. stridet cruor* quasi aqua ad caudentem laminam funderetur; quid elegantius ad exprimendos *stridores* convulsarum *nubium* ac inde protrusi *turbinis* dici potuit? sic coquitur *venenis* id est *sulphureis*, terreis *exhalationibus*, intra nubes receptis, fluit effusè *ceruleus sudor*; hic est *imber violentus*, tempore tempestatis effundi solitus; ambusti nervi quomodo *sonent* audiunt, qui tempestati intersunt. Contra *Funonem* exclamat; quia hæc omnia in aère fiunt. Jam verò, quàm eleganter assumpsit similitudinem stimulis exagitati *Tauri* ad horribiles illos *Boatus* tonitruorum describendos; currit ad sylvas, *irabes sternit*; hoc ex nubibus propulsi violenti ventorum turbines factitant sæpissimè; ubi *montibus* quoque irascitur; in *sylvas* enim & *montes* crebrò fulmina jaciuntur. Demum hoc ipsum fulmen pulcherrimè exprimit in puero *Lycha* cum veste submisso. Nam puer iste est materies terrea, *nitrosa, sulphurea*, unde *fulmina* excoquit; Soli hic cum *veste* missus est, quia cum *nubibus* sursum *evolavit* in vaporibus, & exhalationibus. Hunc accipit *latentem in rupe*, id est, *intra nubes*, quia ex antiperistasi frigoris nubium, & solaris ardoris condensatur hæc materies in *lapideam* quandam *substantiam fulminis*. Rotat illum per auras, & ibi concrescit in *lapidem*, sicut *nives & grandis*: dic oro, quomodo hoc rectius simul & apertius potuisset dicere? tandem projicit illum ad *mare*; nam crebrò fulmina in *aquas* jaciuntur. Ubi Poëtarum

con-



consueto more fingit in *scopulum* mutatum, qui hominis figuram referat: nam
 semper solent substantialibus suis figmentis aliquid simile addere, quo dicunt:
 ex hac connexionione fabulæ adhuc hoc, vel illud restare, & nominant quid,
 quod re ipsâ antea extitit, & ingeniosè ad fabulæ fucum facit: sicut hic illa
 rupes, quæ in mari prædicto hominis speciè refert nautis à longè adventantib⁹;
 sicut in mari *Ægæo* scopulus, qui navigantibus eminus *capræ* speciem exhibet.
 Unde & *Ægæum* mare nomen habet: nam Græcè αἴξ capram significat. Sic
 post substantialem fabulam narratam de Perseo, quomodo is absciderit caput
 Medusæ, quod omnia visâ in saxum convertebat, & post Andromedæ à saxo
 marino liberationem addit Ovidius: quòd Perseus caput Medusæ ad arenam
 in littore maris manus loturus posuerit, sed nè caput læderetur in dura arena,
 virgulta seu vimina supposuerit, quæ cùm madida fuissent, mox imbibère san-
 guinem de capite Medusæ profluentem, & insuper, cùm caput omnia in lapi-
 dem induraret, mox ista rubra virgulta lapidescebant, unde facta sunt *corallia*;
 quod marinæ Nymphæ videntes certatim attulère ex mari similium virgulto-
 rum copiam grandem, quibus similiter in corallia versis mare hodièdum
 abundat. Ecce! Rursum pergit in eadem narratione: cùm Perseus redux
 per Lybiam pergeret, deciderunt in arenosam illam siccissimamque Africæ
 terram guttæ plurimæ sanguinis deflui ex capite resecto, unde illico ingens vis
 serpentum illis in locis oborta est. Scilicet propter æstum certum est aliunde,
 ibi gigni ingentem vim draconum, & serpentium; quas fabellas pro gratiosa vul-
 peculæ suæ grandioris cauda scitissimè Poëta in longū protrahere ad finè solet.
 Sic Lib: 1. *Metam.* ait adhuc oculos Argi extare in cauda Pavonis. Sic Lib:
 2. à Phaëthontis incendio: *Æthiopum populos nigrum traxisse colorem, &c.*
 Idem videbis eleganter in *Batto* Pastore à Mercurio in lapidem verso, qui,
 quòd *indicaverit* boves Mercurio, contra fidem datam ipsi Mercurio, qui illi
 in alia specie comparuerat, & vaccam dederat, nè se ulli proderet, quorsum
 boves abegerit, statutus est in via *indicem* eodem loci pro pœna sempiterna.
 Battus enim nomen acceptum est à *Battus* vado, eo; quia nimirum *indices la-*
pides (quod olim Romanis agris solemne, unde ad unum, ad duos, ad tres
lapides dicebant) viatoribus, quò eundum esset, demonstrabant. Fabulam
 lege *Met. L. 2.* Jam mihi dic: nonne deliciosè rerum Poëticarum amans legisti
 priùshanc & hujusmodi descriptiones in castigato Ovidio? quia styli fluxum,
 quia inopinatas reflexiones, epitheta vividissima rerum exprimendarum, quia
 continuâ varietatē novitatémq; fabularum deniq; scitissimè coñexam seriem
 videbas; & tamen quòd nucleus erat, id est veritatem hanc, nesciebas. jam
 dic

dic age quo gustu hæc legis, & quo legeres, si totam tibi hoc pacto Metamorphosim enucleatam proponerem? lege Lib: 4. emendatæ Metamorphoseos descriptionem Athamantis, quomodo is in furiam actus Learchum filium saxo alliserit, Ino se cum Melicerta in mare præcipitaverit. Lege Andromedæ rursus liberationem, lege Cadmi pugnam, lege alia prorsus ejusdem generis pulcherrima, & eò sapidiora, quò minùs omnibus aperta, atque adeò tuo proprio venatu capta legeris. Sed nunc hæc omnia proponere non proposui; quis scit, quid oculus tuus videbit, si hæc in oculo tuo gratiam videro invenisse. At enim quò devenimus? Batte, ostende nobis orbitam Solis, indè aberravimus; erro, non erravimus: si enim ideo, quia ad impertinentia devenimus, erratum non est; nam profitebamur in titulo nos impertinentia velle pertractare. Vides jam plenè probatum antecedens? ergo vide & consequentiam, quam si necdum vides, vide consequentia.

SECTIO III.



Robantur Animalia Zodiaci id significare, quod supra assertum erat.

§. I.

Speciatiim per signa Zodiaci intellectas esse tales operationes respectu terræ probatur. Inprimis de Tauro non potest esse dubium illum in Aprili positum significare terræ aperturam. *Aprilis* enim Mensis ab hac *apertura* terræ dictus est. Et verba Virgilij Lib: 1. *Georgicorum* ex professo de ruralibus agentis sunt clara:

Candidus auratis aperit quum cornibus annum

Taurus. Credo vides quæ sint candida hæc cornua, si Solem vides.

Nisi velis me, rogâsse Virgilium, ut pro mea hac fictione hoc carmen scriberet. Athanasius Kircherus Oedipi Ægyptiaci templo Isiaco Syntag. 3. de Idololatria c. 7. ponit Iconismum Mythræ seu Mythrij Persarum, qui Ægyptijs *Ostris* est seu *Sol*, ut citatus Author ibidem ait, qui Iconismus est talis: Jacet **Taurus**, cui insistit Mythras, sinistra facem diffluentem tenens, dextrâ os



Tauri aperiens, circa illum sunt varia; inter cætera caput Tauri, & propè fax ardens suspensa alicui plantæ. Interpretationem apposuit Kircherus hanc: *Taurus* est signum *Tauri* in *Aprili*, seu terræ; Mythras Sol, caput; & facem ait significare: Sole in Tauro, igneus calor invalescit ad generationem *vegetabilium*. ubi præmiserat hæc: huc alludit quoque simulacrum in villa Ludovisia & Burghesia, nec non ad orientalem Palatij S. Marci plagam muro insertum, cæterisque passim locis obvium, ubi Mythras Tauri insidens prostrati dorso, pectus pugione transfodit: Sol enim Aprili mense in signo Tauri constitutus, terram tumentem aperit, ejusque genitalia semina caloris sui augmento producit in propatulum; in opposito verò signo Scorpionis eadem viribus amissis in terra penetrabilia denuò frigus recondit, quod Scorpius Tauri testiculos complexus demonstrat; hæc ille. ubi fax alligata ad plantam, si tenebras habes circa meum *Orionem* & *Erichthonium*, quem suprà in Tauri segmento exposui, te plenissimè illuminabit. Advertis item hîc probari, quæ dixi de Sagittario, qui partim homo, partim equus est; scilicet significatur: Sol suprà est debilis, hoc per hominem; infrà est fortis, hoc per equum; equus enim in calcibus fortissimus est; & hæc ratio est extensionis pedis unius ad prius segmentum Scorpionis, quia tunc incipit terra solidari, & Sol infrà solum operari.

§. 2.

Secundò quod de Scorpione dixi, jam nunc vides autoritate in Kirchero compendiatâ probatum; nam is ex luculentissimis rationibus & auctoritatibus veterum, tum scriptis, tum picturis posteritati expressis ostendit. Unde rursus (relege quæ priori §. dixi de Scorpione) probatum habes, quid quid de inverso Hercule, & Ara inversa. in eodem Scorpionis segmento existentibus dixi. Habes igitur initiû Herculis ascendentis, nimirû mox primum mensem post æquinoctiû, tum vernû, tum autumnale, probatum; Taurus enim Arietem sequitur, in quo Vernum est æquinoctium, ut Scorpius Libram, in qua contingit Autumnale. Et si dimidium facti, qui bene cœpit habet, habeo, duorum dimidiorum initia habens, propè totum. Et verò etiam si non aliter probarem, quàm tam congruâ continuâque serie expositionis, tot, tamque disparatarum rerum, abundè apud æquum rei hujus æstimatorem probatum esset: nam si quis sciolus omnia acutulo naso pertundens
ni.



nihil non seorsim minutia probandum esse contenderet, ei dicerem: da, bone vir, etiam jam hanc meâ visâ explicatione, quæ fortè tibi nunquam incidit, imò si privatim tibi status is quæstionis incidisset, utrum possit dari horum omnium una coñexa expositio, fortè impossibilem judicâsles; da inquam, tu etiamnum, si falsam hanc putas, aliam *ralem* falsam; et tunc urgebis me ad probas efficaciores.

§. 3.

Nemo de *Libra* dubitat illam significare *æquinoctium*, audi Virg. 1. Georg:

Libra die somnique pares ubi fecerit horas.

Plinium Lib: 8. c. 25. alterumque æquinoctium Libræ.

Senecam in Hercule furente; *Libra Phœbeos tenet æqua currus.*

§. 4.

C*Ancrum* significare *reditum* Solis, seu *solstitium*, nemo unus credo negabit: est enim prorsus apertæ rationis, ut *Libra*; tantum hâc disparitate, quòd *Libra* æquinoctiale, *Cancer* solstitiale punctum obtineat. De hoc habet Calepinus in voce *Cancer* sequentia: est item *Cancer* unum ex duodecim *Zodiaci* signis, à quadam *Cancris* piscis similitudine ità dictum, eò quòd *Sol* mense *Junio* signum hoc perambulans, paulatim incipiat à nobis *recedere*, & cursu *retrogrado* ferri in *modum cancri*. hæc ille; & quis non?

§. 5.

L*eonem* dixi assumptum ad significandos *extremos æstus Julij*: nunc assertum probo. *Animalia Zodiaci* ex demonstratis assumpta sunt ad significandos effectus astrorum, adeoq; principaliter *Solis* in terram. Sic *Natalis Comæ* supra in impertinenti. 1. de *Apolline*; & ostendi hoc hætenus sat clarè in *Tauro*, *Libra*, *Cancro*, *Scorpione*. Ergo etiam *Leo*, quod unà de alijs in futurum illatum velim; sed principale quod terris



contingit in Julio, mense Leonis, est ille excessivus & summus æstus, & Leo ad hoc significandum est aptissimus; ergo ad hoc est assumptus. Quod autem ad hoc & aptissimus, & ad id significandum assumptus alijs sit, probo: Kircherus de Mythra loquens Oedipi Ægyptiaci Tom: 1. Syntag: 3. c. 7. docet Mythram hunc Persicum, quem Solem esse prius demonstravit, à Persis effigi solitum Leonis vultu, & subdit: ideo Leonis vultu, quia Sol Leonem signum principale habet; vel quòd, ut Leo inter animalia, ità Sol inter sidera excellat. hæc ille; & clarè patet: si enim fortitudo describenda erat per symbola, uti per Tauri cornua, cum in Julio Sol fortissimus sit, per fortissimum, & omnium animalium Regem exprimi decuit, scilicet per Leonem. Sic per Leones Mophræos in statua Isis idem Author docet potentiam & robur significari operationis Tom: 1. Oedip: Ægypt: Synt: 3. c. 4. Idem Tom: 3. Syntag: 1. c. 5. vocat Leonem terrestre animal igneum, ad ignem significandum ab Ægyptijs assumptum.

§. 6.

Per Virginem mensis Augusti, frugum excoctionem & maturitatem significari dixi, & credo satis ostenditur, si ostendatur Spica illius, quam sinistrâ ubique præfert: unde Cicero de natura Deorum: Spicam illustrè gerens insigni corpore Virgo. Et Calepinus asserit propterea, quòd semper pingeretur cum Spicis, ab aliquibus fuisse Cererem existimatam; alicubi pingitur etiam in dextra seculam, quâ segetes abscinduntur, habens; quibus sic clarè ostensis, & à nemine negatis, nec prudenter negandis, dico: quid jam clarius est, si habes per omnia hæc significari effectus Solis in terra, singulis mensibus, quibus ea præfixa sunt, quàm quòd & reliqua idem significant? quare his præmissis, de cæteris occultioribus sic argumentor.

§. 7.

Tauri cornua significant radios Solis, ut ostensum, & passim explicabantur per *cornua radij* Solis; sic Pana Deorum videbis cornutum apud Kirch: Oedip: Ægypt: Tom: 2. part: 1. classe 6. c. 4. quorum cornuum expositionem apponit Author: *radiorum caelestium in*
sub.



sublunaria virtus. Et reâdè; nam cornua radiorum figuram quandam habent, & radios nos pingimus quasi cornua: unde & caput Mosis cornutum apparuisse dicitur, quod explicant fuisse duos radios. Significant igitur *Tauri cornua radios Solis*, & quidem terram aperientes in Aprili, uti ostensum est: ergo præcessit dispositio ad aperturam: ergo cornua, sed subtiliora; quibus certis, dic quomodo aptius, quàm per *Arietis incurva* cornua, hoc explicari potuisset, quibus arietat? & quæ arietatio dicit rei alicujus succutiendæ dispositionem, & hoc pro Martio, per Martiale, id est, pugnax animal Arietem; & hoc pro initio cursûs novi anni solaris, per Arietem, Ducem totius gregis: masculus enim est ovium & ductor.

§. 8.

HAbito sic, ut præmissum est, *Tauro* in Aprili, & *Cancro* in Junio, certum est, & per geminos similiter Solis effectus significari, quos experimur potissimum in Majo. unde consideranti, quid Maji præcipuum sit, nescio an aliud occurrere possit, quàm *flores*. Ergo sicut Sol in *Tauro* significabat aperturam terræ in herbas, & arborum virorem, ita Sol in *Geminis*, terræ ejusdem universalem florem; applica hinc insuper fabellam supra expositam de *Castore & Polluce* part. 2. Sect. 3. §. 1. & usam ipsam inhiantem, & manifestè videbis omnia ad unguem explicationi datæ convenire: Nunquid enim non legisti Poëtarum gratiosas fabellas de *Hyacintho*, & *Narcisso*, & alijs pueris, qui in flores sunt conversi? unde tibi minimè difficilè erit advertere, quòd hinc per pueros & formosissimas puellas, quas huic fabellæ intexuerunt, scilicet *Helenam & Clytemnestram*, vice versâ flores intellexerint. Adhuc te vacillantem magis stabiliet in assensu, si, quem certissimum intellexisti hinc §. 6. in *Virgine*, sensum his adjunxeris, cum enim per *Virginem adultæ* jam fœcundæque ætatis fructus intelligas, unâ per *pueros* intelliges, & posse, & nec aliud posse, ad eoque debere hinc, quos diximus, intelligi *flores*.

§. 9.

Absolutis ijs, quæ caloris Solaris incrementum repræsentabant, sponte suâ defluit, quasi ex sublimiori loco, in quem conatu magno elata est, limpidissima expositionis nostræ series. Vidimus nimirum hinc



§. 1. & 2. de Scorpione, quomodo eleganter Solis defectus supra terram annotatus sit; unde jam oculos phisicos ad picturam Sagittarij deorsum sagittâ collineantis, caput ligati, &c. ad Capricorni cornua recurva, pedes inflexos, caudam piscis similitudinem referentem, aquam sterilem, denique Aquarij, & demum vitales iterum in aqua pisces conjicientes; mentis verò oculos ad supra datas de his 4. mensiù figuris expositiones reflectentes, clarissimè videbimus hîc comprobatum, quod illic assertum: nam tota prior series probata de incremento significato virtutis solaris respectu terræ, in *Ariete*, *Tauro*, *Geminis*, *Cancro*, *Leone*, *Virgine*, & iterum initium inversi Herculis, seu deficientis virtutis solaris in *Scorpione*, luculenter comprobatum, omnia isthæc sequentia demonstrant, primò & significare *vim Solis*, & secundò talem *vim Solis*; quia, si priora sex, ut ostensum, ergo & posteriora quatuor *vim talem*, scilicet deficientem: quia si priora *incrementum*, ergo hæc posteriora (itâ re exigente, quæ hîc exprimitur) *defectum*: & si ab *Ariete* significante *ascensum* semper processum est *sursum*: ergo à *Scorpione* significante *descensum*, (intellige semper in vi solari effectrice aliquid supra terram) procedetur pariter deinceps in *descensu* seu defectu. Ipsa etiam symbola, ut diximus, & patet oculis, exhibent semper *debiliora*, & debiliora, ergo hunc majorem & majorem defectû: urgent enim hæc tria concurrentia pro hîc certissimè stabiliendis efficacissimè. Primò priora Zodiaci animalia significant sui mensis, in quo sunt locata, effectum solarem respectu terræ; ergo & hæc, cum series sit totius annuli, & nemo possit prudenter cogitare aliud quid diversum tantæ seriei, & tam aptæ, prout demonstravimus ratione & autoritate, annexum esse; cum ipsa rei semel inceptæ explicatio, id est, terræ annua per menses mutatio, hoc exigat. Hoc igitur indubitatè certum est, quòd Sagittarius, Centaurus, & Capricornus, & aqua Aquarij, & Pisces etiam significant suorum mensium operationes solares. Secundò: (quod pro minori argumenti hujus prædicta omnia complectentis ponitur) hi menses, in quibus hæc animalia sunt, non habent effectus solares alios, & hæc animalia, sic effigiata, significant illos effectus valde aptè, & connexè, nec possunt alios tam aptè significare; minor hæc est probatissima omni illi, qui scit, quid fiat in mensibus: ergo hos effectus significant. Pisces testor, qui si unquam locuti sunt, hîc silentium *indiscunt*.

SECTIO IV.

Robatur accidentalia, seu illa, quæ à lateribus sunt animalium Zodiaci in quovis segmento, id significare quod suprà dictum est.

§. I.

Universale Argumentum, seu pro omnibus simul sumptis.

Primò ad probandum, quòd lateralia significant effectus Solis & quidem tales, quales suprà explicui, pono sic: positis semel animalibus Zodiaci, ut substantiâ rei explicandæ, quæ significant vim solarem accrescentem, & deficientem, sicut demonstravimus; naturalis rei convenientia exigebat, ut, si vellent quid adungere, adjungerentur à primis hujus Poëtici globi pictoribus & fictoribus effectus, qui per hanc solarem vim fiunt tempore illo, quò Sol in tali mense, tali animali ingeniosè representatur. Et hæc tota laterum series per totum globum aptissimè, ut vidimus, representat hos effectus singulorum mensium, singulis Solis in tali signo existentis virtutibus respondentes; ergo hos significat hæc tota series omnes; & singulos singulæ figuræ singulorum segmentorum, ut præmisimus.

§. 2.

Argumentū pro singulis cujuslibet segmenti, quòd significant id, quod suprà assertum est.

Primò Perseus cum ense Vulcani & talaribus Mercurij non potest non omne caput, licèt mille linguis contrà sibilaret, unò ictu demetere: nam ostendimus autoritate suprà, & patet ratione, à *Vulcano* acceptum



ptum ensem esse *calorem*, & per *alas* optimè indicari *auram* vel *ventum*; nemo hac de re dubitat, nec verò potest dubitare, cum in se aura pingi non possit, & nihil illi exprimendæ aptius sit, quàm alæ, quæ pro aura & volatu unicè sunt: ergo hæc duo juncta significant *calidiorrem auram*, seu *ventum*, quod asseruimus. Si verò fabellam attendamus, quòd is scilicet fuerit *Jovis* filius ex *aureo imbre* genitus, quis *Jupiter* iterum, & quis *imber*, nisi eadem duo antè dicta, *aura aurea*, *solaribus radijs aer* illustratus? Ægyptij quoque per duas alas Spiritum intellexêre teste Kirch: Oedip; Ægypt; Tom: 3. Synt: 1. c. 5. p. 136. Cepheum Regem dixi *montem*; quid pronius Poëtis, quàm ut insignem Regionis cujusdam montem, omnia latè despectantem, accipiant, dum fabellam cudunt, pro Regionis illius Rege? cum ille grandissimus, & sublimissimus omnia sit; hinc leges, ut suprà innui Atlantem, *Regem in montem conversum*; quin in sacris quoque ab interpretibus *montes* pro *sublimibus* & *Principibus* populorum fumuntur; ut illud: *tange montes, & fumigabunt, ijs* explicatur: *tange Principes summos, & evanescent in nihilum, ut fumus*; unde hæc tam clara & obvia sunt, ut passim in sacris & profanis *Principes* & *Reges montibus* assimilentur. Quo dato, quomodo vallis sit Cassiope Cephei uxor, clarius est, quàm ut explicari indigeat.

§. 3.

Andromeda est arbor, ita ego; & probatur: passim in Metamorphosis legere est *homines in arbores* abijisse; sic *Daphne* in *laurum* Metam; l. 1. *Heliades* sorores in *populos* lib. 2. Metam: & alibi: ergo opportunissimum est, ut per homines arbores intelligas, si semel constituisti res naturales alias per homines adumbrare; ut de Sole per Herculem, de fructu per Virginem, de floribus per Geminos ostendimus. Accedit, quòd ἀνδρῶν ὄμοιοι homo, ex Græco ἀνὰ & ἰστένω, quæ duo significant *revertio*, seu *evertio*, exprimat *arborem inversam*; & certè vulgò jam notum est, per capillos radices intelligi, per pedes & brachia, brachia arboris; ergo convenientissimum veritati est assertum. Dices: dubium non est potuisse sic intelligi, & prudenter, & acutè sic potuisse intelligi; sed unde probas sic intellectum esse? R. Iste semel (ut explicui & probavi) admissus Perseus non potuit aliam, quàm sic saxo alligatam Andromedam solvere; non potuit aliam Virgè.

Virginem sponfam in uxorem ducere, ergo. Hoc admissio non potuit alia Baelæna à Nymphis, seu ut alij, à Neptuno, cui hæc Andromeda exposita esset, & quæ ab hoc Perseo occideretur, immitti.

§. 4.

ORion est arbor sylvestris; Erichthonius omnis herba & planta probatur, positum argumentum positivè pro singulis his repetendo. Sic explicatus Orion, & Erichthonius aptissimè, & ex rei natura Tauro tali, jam evidentè probato conveniunt; Taurus hos solos potuit in Aprili ex terra suis cornibus expungere; hi sibi invicem & toti totius spheræ contextui naturalissimâ serie & aptissimè respondent: ergo sunt tales. hoc est, *Orion arbor omnis sylvestris, & Erichthonius planta*, seu *herba quævis*, maximè pastui opportuna. Hoc argumentum existimo esse apud quemvis, tam efficax ad id probandum, quod statui, qui modicè, & rerum aliàs separatissimarum, & in fabellis distortissimarum, tam facilem, & sponte suâ congruentem connexionem videt, ut supervacuum dicturus sit, quid quid porrò ad eadem stabilienda congesserim; tamen ex abundanti probò 2. auctoritate Kircheri, cujus explicatio in Hieroglyphicum Mythræ suprâ Sect: 3. hujus partis, §. 1. allata de Tauri capite, &c. & face ardenti plantulæ appensa, hæc habet formalia: *Sole in Tauro*, igneus calor invalescit ad *generationem vegetabilium*; quæ ipsissima verba, si adjunxeris segmento taurino, seu Aprili, caput Tauri, & Orionem, & Erichthonium continenti, secundum nostram interpretationem, videbis manifestè non aliud à nobis dici, nec ab ipso aliud in rem nostram apertius dici potuisse.

§. 5.

Sic probatis accidentalibus segmentorum; seu lateralibus figuris duorum mensium primorum, Martij scilicet & Aprilis non restat, nisi ut Lectorem ad secundam partem relegem, ut is illic in expositionibus singulorum allatas probationes, cum his, quæ in proximè præmissis duobus §. attulimus, argumentis conferat; ubertim enim ex his intelliget, nulli non prudenti dubio factum satis. Unde nè ultra propositum longius excurram, paucula so-



lùm, quæ non tam desiderari, quàm admitti posse videantur, addam. Dixi parte 2. Sect: 1. §. 2. per triangulum seu Deltoton, cui Andromeda insistit, *insulam intelligi*; ad quæ illustranda faciunt, quæ leguntur apud Calepinum voce: *Nilus*, & sunt sequentia: circa Meroën in duo dispergitur brachia, Astabores laevo alveo dictus, dextro Astusapes: nec antequam se concordibus aquis junxerit, Nilus appellatur; postremò septem, ut dictum est, ostiis exonerat se in mare Ægyptiacum, Ægyptique inferiorem partem, dextrà lævâque divisus, amplexu suo determinat. Canopico ostio ab Africa, ab Asia Pelusiaco: propter quod aliqui Ægyptum inter insulas posuère, ità se dividente Nilo, ut triquetram terræ figuram faciat; idcirco multì à Δ , Græcæ literæ similitudine, *delta* vocaverunt. in Kirch: Oed: Ægyp: Tom: 1. Synt: 1. c. 8. leges hæc. Inferior Ægypti pars, quæ duobus fluminibus Agathodæmone & Bubastico, & littore maris includitur, ab omnibus ferè Geographis *delta* à figura literæ, quam exprimit, appellatur. Parvum delta porrò vocatur omne id spatium terræ, quod Bubastico, & Busritico: tertium delta, quod Bubastico & Athribitico continetur; hæc ille. Vides hic, quàm rectè, dictum sit, hanc determinatam, & celeberrimam insulam, nimirum Ægypti plagam, à Poëtis assumptam esse pro insula quavis in genere; præsertim cum Græci fabulas suas omnes Ægyptiorum fabellis, tanquam primis, & Græcorum Magistris accommodârint,

COMPENDIUM OPUSCULI.



Contraham hic brevissimè substantiam totius Opusculi, & loquar eò modò, quò solent, qui hiero- & chiroglyphica exponunt: unâ nimirum continuâ serie; tum ut consulam Erudito Lectori, cui tædiosum est, aliunde ex præhabita eruditione certo, de veritate interpretationis, quam mox ubi primùm detegi videt, videt sinè ullo probationum syrmate esse genuinam; tum ut ij, qui primùm perdisce-

re hanc interpretationis seriem cupiunt, neque adeò de probis solliciti sunt, ut (inquam) rem omnem, sine immistis mille probationum ambagibus, coràm, & ante oculos, uno velut intuitu perlegant. Cui tamen quid ambiguitatis occurrerit, & in assensu, quasi in via, defecerit, is poterit partem 2. & tertiam revisere, & se pro progressu ulteriore confortare. Huc igitur oculos, huc animos! legite vestigia brevissimâ semitâ ad eundem scopum præcurrentis.

§. 1.

Segmentum Arietis.

Aries cornibus incurvis significat: Sol in Martio arietat, & disponit suis radijs terram ad aperturam. Perseus Vulcani ense, & talaribus Mercurij instructus, est *ventus* Martialis jam *calidior*; hic Medusæ caput anguineum amputat, quando dies Martij à glaciali frigore liberat, in quibus hominum crines non amplius serpentum specie, utpote congelati, capita circumsonant. Per *delta*, seu trilateram figuram, cui Andromedæ pes insistit, intelligitur omnis *terra aquis irrigua*, & circumdata. Huic insistit Andromeda, quæ est arbor frugifera; est filia Cassiopeæ submissè sedentis, id est, terræ in planitiem, vel valles frugiferas effusæ: & Patris Cephæi, id est, montis. Solvitur hæc Andromeda arbor à scopulo marino, id est, à glacie, quâ constricta tenebatur, per *Perseum*, id est, *ventum calidum*, in Martio adventantem. *Balena* est *major* majorum aquarum *glacies* in vel *circa* terras existentium, cui Andromeda fuit exposita. occiditur à Perseo, quando à calore dissolvitur. unde contingunt illuvies, & fluviorum exundationes, propter nivium & glaciei resolutionem, quam Eridanus fluvius representat. & hi sunt effectus in terra *Martij*, seu *Solis in Ariete*.



§. 2.

Segmentum Tauri.

SOL in Tauro cornuto, est Sol in Aprili, terram suis potentibus radijs aperiens. unde exoritur Erichthonius Vulcani, id est, solaris caloris filius; nempe *gramina*, & *herba* pro caprarum equorumque pascuis opportuna, quod frænis equinis, & capreolis designatur. Similiter & Orion cataphractus, *galeâ* & *scuto* obtectus, hoc est: arbores sylvestres hoc mense *folijs* rursus suis contra aëris quaslibet injurias armari, & in densas umbras explicari solent, sub quibus requiescere in impluvio sylvestria animalia tutò possint, quod in lepore non sinè lepore vides adumbratum.

§. 3.

Segmentum Geminorum.

SOL in Geminis, est Majalis Sol in floribus; quibus ursæ caput, quæ mellis gustu deliciatur, inhiat, & hoc corporis sui *alveari* apum mellilegarum, per tot deinceps menses, dulces in floribus labores, quàm acutè, tam dulciter ostentat.

Canicula, Procyon ex æstu anhelans, initium calorum post Maij dimidium jam sensibiliter ingravescentium prænotat, Canis, Sirius, Argonavi versæ affixus, stellato ore suo canum ritu ad navalia prælia simul irratat, simulque tempestatum initia, & aërias earundem pugnas caninis dentibus stellâ illustratis declarat: hoc quippe mense horum omnium exordia seriò capefluntur.

§. 4.

Segmentum Cancri.

SOL in Cancro, est Sol in Solstitio; id est, in *regressu* ab auge, seu summo quod obtinebat in suo aëno circulo. *Inversa* & eadem *minor ursæ*, propter calores Junij, & inde sequentem siccitatem, florum teneritudinem, apum



pum postui solùm leuissimam, defecisse indicat. Hydra exercitâ linguâ hujus caloris incrementum, & siccitatem deinceps in longum continuandam occultè insibilat. Scutatâ, omnibusque armis apparatus Argonavis pars intimior, navalium negotiationum, præriorumque florentem statum, & cursum substantialissimum, per duos continuos menses bellissimè propugnat.

§. 5.

Segmentum Leonis.

EXtremum Leoninæ generositatis indicium in cauda consistit. Sol in Leone omnium siderum Princeps, ac suimet victor existit: nunquam enim æstuantior est, quàm circa Julij dimidium; à quo tempore Crater sensim inclinari ad effusionem frigidæ, quæ Corvum caloribus adustum refrigeret; & Hydra detumescere in tenuiorem caudam incipit; & apum pastus, omnibus floribus æstu testis, in Ursæ cauda desinit.

§. 6.

Segmentum Virginis.

SOL in Virgine spicifera, est vis solaris in Augusto, omnium frugum, in Spica representatarum, ad maturitatem excoctiva; hinc anhelant citatissimo cursu vertagi Arcadis, seu Bootis, hastam tenentis, quod est, ad perfectam culmi maturitatem frumenti Spicam in altum porrigentis.

§. 7.

Segmentum Libræ.

SOL in Libra, est Sol in æquilibrio, dies Solaris in æquinoctio; in Septembri enim habetur toto orbe obliquo iterum æqualis diei, & noctis divisio. Hercules hoc mense invertitur; Sol ita sub terrâ transito æquatore deprimatur, ut deinceps post æquinoctium semper longior nox, quàm dies habe-



habeatur, quia Sol diutius infra, quàm supra nostrum horizontem moratur. Pedes Virgo togâ implicatâ involvit, quia frigus autumnale sentiri incipit. hinc corona borealis folia vitis inflectit ad caput serpentis, ad radicem arboris. Sensim quoque incipit Centaurus, & Lupo in campo scuti sedenti, hastam infigit, id est, ruricola equis, & cæteris jugalibus, frumentum, fructusque reliquos in voracissimum hyemale *horreum* convehit.

§. 8.

Segmentum Scorpionis.

CAuda Scorpionis, est extrema vis Solis mense Octobri in terra operantis, cujus caudæ venenum corrosivum, dicit frigus pruinosum, ultimò fructus ultimos Autumnii concoquens, totam scenam fructiferi anni claudens; hinc Ara cum igne, id est, focus evertitur, quò *majori* Hercules, id est, capitis ejus *eversioni* aptissimè correspondetur; Ophiuchus in Draconem involutus, est *botrus* vitis, (quæ Draco Grammaticis dicitur) palmitibus implexus, qui Octobri proprius, & primariorum fructuum habetur ultimus.

§. 9.

Segmentum Sagittarij.

SOL in Centauro, Sagittario, sagittam deorsum vibrat: quia Solis radius mense Novembri, jam nil ampliùs potest hic suprâ apud nos; sed tantum infrâ; hinc caput supernè infirmum, & fasciâ ligatum, pedes verò terræ insistentes fortissimos, equinos habet; ad cujus pedes jacet corona jam in terram delapsa, sunt, quæ diximus, vitis folia; unde totus Antinous, pulcherrimus puer, quasi immolandus Aræ imponitur; nè vultus pateat, invertitur; quia per hæc totius pulchritudinis terrestris eversio, innuitur, quæ Jovi tunc regenti, & asperrimè ventis frementi immolatur. Hinc Aquila escæ, quâ



quâ hæcenus abundabat, inôps, inverfa, & velut emörtua ruit; hinc vultur cadens cadit, & vacui ventris inani lyrâ avium conticinium ex defeâu soliti pabuli furdè tinnit.

§. IO.

Segmentum Capricorni.

Capricorni cornua inverfa retro, adeoque ad pungendum inepta, huc pofita funt: quia hoc mense Decembri, radij folares femper magis ac magis ob accrefcens frigus ex majori Solis absentia, quia diuturniore fub terra mora, deficiunt. Hinc mifer Delphinus mortuus pendet extra aquam in aëre, & fimiliter Equiculus; quia & terreftribus, & aquatilibus animalibus deficit pafcus. Cygnus etiam pulcherrimus, aura fcilicet candida & gratiofa, inverfus eft; quia nivibus terra omnis oppleta eft; unde telum, feu fagitta (radius Solis intellige) fuprà, id eft, in fuperiori hemifphærio hyemali volans, inanè, per inane, quia nihil proficiens, jactum eft.

§. II.

Segmentum Aquarij.

Sol in effufa amphora, eft vis solaris debillima. hinc igitur triumphante frigore, in vincula Pegafus, fontium author, conjicitur, conjunctis alis inverfus fuffigitur: quia aquæ fontanæ gelu obftrictæ tenentur; & fluvius à Notio pifce avidiffimè carpitur, quia gelafcentibus aquis, pifcibus aqua minuitur, auræ fpiraculum neceffarium in pifcinis & lacubus, ufque ad eorum deliquium, negatur.

§. I2.



§. 12.

Segmentum Piscium.

SOL in piscibus, est primus iterum terræ ex Sole vitalis motus, sed adhuc dum valde tectus; unde ex frigoris summi, & jam aliquali Solis ascendentis calore, maxima glacies in Balenam compingitur. Cui Andromeda fortissimis vinculis adstricta, nuda exponitur, Cepheusque Pater tristi, atque in altum turbinato, capitis tegmento nivium integitur.

APPENDIX.

QUæ, dum hanc semitam ocyssimè decurreres (ut solet contingere properantibus) vel prorsus non, vel obiter magis, quàm voluisses, spectasti, vide sis in fusioribus iisdem partis secundæ ac 3. segmentis.

AD LECTOREM.

TErq^s, quatérque, Lector benevole, circulum unum eundemque decurrimus, & quidem in sine motu velocissimo, non esset mirum, si nobis caput rotaretur. Sedeamus (quæso) tantisper itinerantium more, & cum solatio, quod pedibus emensi sumus, oculis animisque quasi per quietem, deliciosius referamus.

Ocelle, te Erudite Lector compello, quid in hac reclusa scena vidisti? atiquidne quod haecenus non videris? non velim intelligi de praestantia, quam in hac materia nunquam videris, hoc absit; tam demens non sum, ut in hac nucula tantam Iliadem inclusam putem; sed certè, rem licet exilem, tamen talem, quam haecenus non, vidisti; hoc ausim asserere: nam, tametsi res has omnes dudum antè videris, isthic tamen, in textu hoc strictæ Palladis, illigatae, inquam, innodataeque Poëseos esse non vidisti. Desideravi prius ego, desiderarunt oculi eruditi antehac multi videre, quod tu vidisti: nimirum aliquam tot, tamque variarum, & à tot seculis ab omnibus acceptissimarum rerum connexionem, rationem, quare haec potius, quam aliae, huc à sapientissimis viris, quorum est dominari astris, translata, & huiusmodi ordine disposita, fabellis tot exornata sint. Quare, me quod attinet (quid quid obliquior oculus, qui hac viderit, inviderit, & invidendo non viderit, supercilij crispet) felicem existimo haec vidisse. Vel enim reverrà, (quod propter naturalissimam, & rationi, Authoritatique, quam attuli, conformissimam totius contextus convenientiam judico) inveni, quod Veteres globum hunc fingentes, & fabellas effingentes, inveniri à sagacibus posteris voluerunt; hoc est, quam studiosè studiosis, indagatricibusque mentibus occultarunt: hic enim mos semper fuit Sapientibus, ut Athanasius Kircherus dilucidè probat in Obelisci Pamphiliiani initio, ubi de translatione scientiarum ab Hebraeis ad Chaldaeos, ab his ad Aegyptios, ab his ad Græcos, à Græcis ad Romanos agit, & in



Oedipi Ægyptiaci ejusdem omnibus hiero- & chiroglyphicis tabulis, pyramidibus, Obeliscis, &c. patet; velenim, inquam, hunc thesaurum inveni, & felix fui; vel excogitavi primus, & felix rursus extiti; quò adduci non possum, ut credam, me vesti tot manicarum, tot caligarum, tot capitiorum, tot juncturarum, tot híc largissimorum, illic strictissimorum meatuum, tot tantorúmque colorum, jam ante tot sæcula per totum contexta unum quoddam casu corpus invenisse, cui omnia ità aptè adiaceant, ut si pro illo, ad omnem regulam scissa, consutaque in unum fuissent, & tamen illud ipsum corpus, pro quo facta hac vestis fuit, non esset. Hoc ego (ut fatear ingenue) mihi persuadere non possum; si tu tibi his lectis, Lector amice, persuades, fac, age, rejice corpus isthoc, hanc meam interpretationem, & substitue aliam, & tunc videbis, quot plicas, & tricas inibis, quas tamen híc planissimè explicitas vides. Ego mea, quæ pro hac veste quadrare videbantur oculis exhibui; & tu, quæ meliora vides, mihi videnda exhibe, & vale.

A. M. D. G.




Cicero 12. Philipicâ:


Cujusvis hominis est errare; nullius nisi insipientis persevere-
rare in errore.

*Etiam hæ paginæ humanum quid passæ sunt, dum premeren-
tur: nam ut emendatiores prodirent, quod post omnia
emendaretur, per omnia admiserunt. Quare*

*Paginâ 32. lineâ 16. pro errore legatur sinè errore; idem fiat
in reliquis.*







NOTA
magnitudinis
stellarum
prima
secunda
tertia
quarta
quinta
sexta
nebulose

GEMINI

Orion

Argo-Navis

Crater

Bootes

Corona

Virgo

Libra

Scorpio

Sagittarius

Capricornus

Aquarius

Pisces

Cetus

Argo-Navis

Phaethon

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis

Argo-Navis